ANALECTA HISTORICA

DE SCHOLIS

PRAGAE REGIAE MINORIS

LATINIS

ANTE ET POST ERECTAM UNIVERSITATEM,

CELEBRANDO GYMNASII CAESAREO-REGII MICRO-PRAGENI ANNO AB INSTITUTIONE SUA SAECULARI ALTERO,

SCRIPTA

A

C. K.

PRAGAE.

TYPIS JOANNIS SPURNY.

1830.

MUSIS CONGRATULANTIBUS,

VOVET, DICAT

ANNO SUO SECULARI ALTERO

GYMNASIUM MICROPRAGENUM.

Praefatio.

Ducentesimus, Deo ter Optimo Maximo auspice, agitur annus, ex quo Gymnasium nostrum auctoritate Caesaris Ferdinandi II. erectum et confirmatum, ejusque successorum ac imprimis Augusti Caesaris nostri Francisci I. regia et paterna munificentia conservatum, auctum ornatumque, juventuti patriae ad pietatem omneque virtutis genus et ad bonas literas erudiendae exstat.

Consentaneum autem videtur, nonnulla de scholis nostris vetustioris etiam aevi, quae per inopiam monumentorum eruere licuit, hic adferre, ut inde aliquo modo de latinarum et humaniorum literarum studiis aevi anno 1630 longe antiquioris, in hac nostra

urbe minori Pragensi conjici possit. Bisecularis enim haec gymnasii nostri memoria jure id postulare videtur, ut simul memoriam illorum, qui studia nostra olim et nunc auctoritate sua, consilio, opibus et quavis navata opera tuebantur ac promovebant, grato recolamus animo, et quamvis plurimi beatorum jam sedibus gaudeant, praesentes quasi et testes huic festo veneremur. Sunt enim hae pietatis et humanitatis, ad quam scholae nostrae praecipue ducunt, vel primae partes, ut omne aevum et omne genus hominum, eorum praesertim, quibus tam arcto vinculo jungimur, mente et animo pientissimo complectamur.

Itaque primo loco de studiis Micropragenis antiquioris aevi, ante erectam universitatem, tum de origine et institutione hujus nostri gymnasii anno circiter 1630, et de ejus progressu ad annum usque 1780, pauca illa quidem, ut jam innui, adferam, nixus in utraque parte indubiis testimoniis. Causa vero, ob quam analecta haec non ultra annum 1780 continuanda putavi, haec est, quod nempe omnia, quae ab eo tempore ratione Gymnasii nostri acta et gesta sunt, in historia ejus ab anno 1777, indicibus et catalogis manu exaratis consignata diligenter apud nos adservantur, adeoque notitia eorum, si quando opus esset, facile exhiberi possit: antiquiora autem illa, hinc et illinc sparsa, ex variis subsidiis colligenda erant, itaque proprio analectorum nomine veniunt, quorum memoria, nisi

in unam temporum seriem collecta fuissent, facile obliterari aut plane intercidere posset.

Sed erunt fortasse, qui arbitrentur, rudia illa, antiquitus, sicut ubique gentium, ita quoque apud nos literarum initia nequaquam tanti esse, ut de iis operosius quaeratur; quos ego rogatos velim, ut in animum revocent, quae rerum facies a saeculo fere quinto aut sexto in hoc nostro orbis tractu, et quae aut unde spes aliqua fuerit, fore, ut ad hunc vitae humanioris cultum, quem nunc cernimus, lapsu temporum perveniatur? Deleto imperio romano, Graecorum aut potius Bysantinorum rebus jam attritis, postquam gentes ferae et barbarae has regiones cunctas jam pervasissent, quid ultra aderat, quam linguae earum aeque rudes, absonae et situ obtectae, rerum notionis et verborum, aut si malimus verborum et rerum usquequaque egentes? Isto hominum sermonisque incultu per omnia, aut nunquam forsan, aut permultis saeculis posterius haec aetatis nostrae humanitas et hic rerum decor postliminio velut quodam rediisset, quemadmodum in populis feris hucusque accidere videmus. Sed supererant reliquiae quaedam e sermone latino, nam graecus gentibus vastis adhuc magis impervius, ac tricis jam bysantinis sat hispidus erat, corrupto illo quidem, nec tamen notionis rerum optime inventarum experte. Propagata ad nos divinitus sacrorum christianorum doctrina saluberrima, sermo hic simul Roma et reliqua ex Italia trans Alpes traductus est, et paulo post, Pontifi-

cibus Romanis imprimis in id enitentibus, monumenta quoque scriptorum romanorum ad nos perlata sunt.

Sic gentes usquequaque rudes et res maximas ipsis adhuc ignotas, et nova simul ac peregrina vocabula in vitae ac sermonis sui commercium adsciscere *) et linguae populares, inopes alioquin, informes et sono horridae, apud singulos, pro cujusvis vitae genere, apud coetus praesertim ecclesiasticos quodammodo in desuetudinem abire debuerant, ut posthac, cognita sermonis et scriptorum graecorum et latinorum praestantia, quin et jam paulatim penitius perspecta, ad majorem copiam et concinnitatem, insito animis imitandi, quae placent, studio, renasci possent, quod et ultra omnem spem contigit. Ita, licet parvis ad speciem, ut in omnibus fere fit, initiis, lux laetior humanis rebus oborta est.

Quare qui vestigia antiqua renascentium ita studiorum relegunt, neutiquam operam mihi ludere videntur: ut si Miladam, ducis olim Bohemi Boleslai

*) Velut: *schola*, *scribo*, *magister*, *presbyter*, *rectum*, *legisti*, *tectum*, *murus* et permulta alia, vocabulis teutonicis, hisque certe serioribus consona. Cum his itaque, Teutonum linguae penitus ignotis, ac ideo e latina ductis, ipsam quoque rerum ad vitae humanioris usum notionem ad Teutonum gentem olim transiisse, non fide prorsus absonum videri possit. De lingua autem Italorum, Francogallorum, Hispanorumque res omni dubio caret.

Pii sororem regiam, latine doctam, fama saltem accepimus, conjugem vero Wladislai nostri II. Juditham eloquio latino eruditam fuisse historia teste scimus, haec nobis non minora sint, ac si solum Bohemum tunc proventu unius anni opulentius, aut miles Wladislai trina victoria clarior fuisset; nam isto perraro doctrinae consulto quaesitae exemplo similia multorum studia excitata fuisse probabile est.

Quoniam autem in antiquissimis jam Pragae Minoris scholis imprimis grammaticae mentionem disertis verbis fieri in decursu hujus quaestionis videbimus; hoc simul innuendum censeo, solam istam disciplinam, licet non priscorum, sed nostro modo eam ad formam tantum ac juncturam vocabulorum et analogiam quandam sermonis referamus, nequaquam spernendam et susque deque habendam esse. Quicumque rationem omnis sermonis, adeoque et cogitandi et judicandi sic dimensus est, et certis regulis illigavit; profecto ille non minorem publice utilitatem attulit, quam qui primus abstrusa mathematicorum praecepta in luce collocavit, aut astrorum cursum et orbitas ad certam rationem redegit. Utut ista doctrinae pars nunc et puerili aetati pervia est, tamen illa, praesertim altius provecta, nulla omnino disciplina carere potest, quin manca et instabilis sit; est enim sermo rectus et emendatus instrumentum quoddam caeterarum omnium artium scientiarumque. Caeterum antiquis jam temporibus summi viri, velut Varro et ipse

Julius Caesar de grammatica ratione et analogia verborum non indiligenter quaesiverunt.

Quibus autem praeceptis hac in parte prisci illi magistri in arce Pragensi usi sint, id quidem quaerere, nulla rei memoria superstite, vanum esset; hoc tamen notasse non obfuerit, quum fuisset saeculo nono laudatissima docendi ratio Rhabani, coenobitae et didascali Fuldensis, isque ultra temporis sui modum omni excultus eruditione, postea archiepiscopus Moguntinus renunciatus esset, et a Moguntinis praesulibus primi nostri episcopi decreto Caesarum ordines sacros ferrent; potuisse aliquam methodi ejus partem in scholas ad D. Viti scripto aut fama tradente pervenisse.

Unum adhuc est, quod sinistrioris alicujus interpretationis declinandae causa mihi concedi velim; cum nempe scholas latinas Pragae Minoris primas omnium in Bohemia institutas, hinc itaque primam eruditionis alicujus lucem in reliquam Bohemiam propagatam fuisse adsertum eo, ut ne id ambitiosius aut gratiae cujusdam aucupandae causa fecisse existimer. Utilitate ipsa rei alicujus praeclare inventae aut institutae spectata, nihil profecto aut parum refert, quaerere, in qua orbis, nedum urbis cujusdam parte illa prius usu venerit, ac possunt et serius alicubi constituta antiquis illustriora existere, nec enim in vetustate rerum omnia posita sunt. Sed mihi e

majori rei gestae fide persuasum est, Pragae Minoris, et origine sua reliqua urbe anterioris, primam apud nos sedem literarum, et quidem in arce Pragensi constitutam fuisse, quod cum ad memoriam antiquitatis non injucundum est, tum aliquam grati animi significationem habet *).

Ceterum id nec innuendum quidem arbitror, nomen ipsum gymnasii, quo tunc interdum ipsa universitas quaedam disciplinarum veniebat **) nuspiam in vetustis chronicis nostris inveniri; nam nobis non de nomine, sed de re ipsa, seu scholis latinis, gymna-

---

*) Pragam Minorem Veteri Praga antiquiorem esse, constans fama tradit, cui ad nostra usque tempora perduranti, nulli licet vetusto monumento innixae, quid tamen adversae partis scriptores opponere possint, non video. Nam qui Pragam Veterem prius conditam fuisse volunt, hoc argumento utuntur: fuisse nempe olim, Ptolomaeo auctore, in dextra Moldavae amnis ripa, simili situ et loco, ubi nunc Praga Vetus est, urbem, sive Marobudum, sive Bubienum nomine, inaedificatam. Sed, amabo, quot loca simili huic situ ad amnes Bohemiae non reperias? Et quodsi ita fuisset, cur nulla rei fama ab eo saltem tempore, quo Libussa Pragam condidisse fertur, ad nos pervenit? Sed nec ego adduci possum, ut credam, priscos illos Marcomannos, sive qui alii fuerint, in ripa et loco tam depresso, qualis hic fuerat et adhucdum est, indeque et hostili impetui et aquarum inundationi obnoxio, urbem sibi exaedificasse. Mori id, praesertim priscorum, repugnat. Equidem potius crediderim, in sinistra amnis parte, ut editiore, ita nostrae nunc Pragae Minori magis contigua, id fieri potuisse.

**) Pervulgatum est nomen archigymnasii Romani.

siis nostris non absimilibus, disquisitio haec suscepta est. Jam ad studia latina Pragae Minoris ante erectam universitatem, adeoque diu ante gymnasii nostri instaurationem veniamus, in qua parte ego inprimis doctissimum quondam Raphaelem Ungar, c. r. bibliothecae praefectum, in sua de ratione scholarum latinarum in Bohemia ante erectam uuiversitatem dissertatione Pragae 1784 .edita, ducem sequar.

Scripsi Pragae Bohemorum XIII. ante calendas Novembres MDCCCXXX.

Carolus Kauba
Gymnasii Praefectus.

I.

Scholae latinae (studium particulare) Pragae Minoris ante erectam Universitatem.

Ad asserendas Pragae Minori scholas latinas, et quidem in arce Pragensi ad divi Viti ecclesiam, tanquam omnium in Bohemia antiquissimas, et diu ante erectam universitatem institutas duo erunt efficienda: primum adferenda erunt testimonia vetusta, verbis disertis concepta, adeoque indubia; tum refellenda omnia, quae de aliis ejusmodi apud nos scholis, velut vetustioris aut saltem ejusdem aetatis jactata fuerunt.

Jam quod primum attinet, habemus de scholis in arce Pragensi testes domesticos et extraneos, inter illos quidem

I. Cosmam, decanum ad D. Viti, saeculi undecimi scriptorem chronicorum. Hic ad annum 1068 de Marco, praeposito Pragensi sermonem inferens dicit:

a. „Fuisse eum in omnibus artibus valde bonum scho-„lasticum, et meruisse, qui et sit et dicatur multo-„rum magistrorum didascalus."

Ut praeteream, scholasticorum nomine, e lege Caroli Magni et more ubique recepto, eos tantum intelligi,

qui ad ecclesias collegiatas, cathedrales aut metropolitanas scholas docendo vel invigilando obibant, e verbis Cosmae patet, exemplar quoddam in Marco ceteris magistris ab illo proponi, istosque non obscure reprehendi. Qui autem illi, praeter scholae Pragensis magistros, hosque non paucos, fuerint, certe nemo ne cogitando quidem adsequetur.

Porro utut Cosmas non parcus est in Marco suo laudando, omnia fere ecclesiae D. Viti ornamenta illi soli accepta referens, nuspiam tamen ei primam scholae hujus institutionem tribuit, quod ille, si res ita se habuisset, profecto non praetermisisset.

Itaque fuerat schola in arce Pragensi jam ante annum 1068, ac quidem longiori ante tempore, id quod etiam inde magis patet, quod Cosmas eam, nisi jam diutius extitisset, haud ad severam adeo censuram vocasset; plerumque enim prima rerum initia, quamvis minus prospera et rudiora, patientius ferimus.

b. Alterum ejusdem testimonium est ad annum 1074, dum „nec tacere," ait „cupio, quod eo„dem anno nobis, adhuc positis in scholis, con„tigit audire et videre, dum psalmiculos rumi„narem, stans in crypta sanctorum martyrum „Cosmae et Damiani etc." id est, in arce Pragensi. Erat itaque Cosmas hic in scholis, nec refert, utrum discentis, quod propius vero, an docentis vice.

II. Continuator Cosmae primus, anonymus quidem, procul dubio tamen e canonicis Pragensibus, ad annum 1248 haec habet: „Studium Pragae perit." Haec chronici verba tantum abest, ut sententiae nostrae repugnent, ut eam potius luculentius confirment.

Scripsit enim Continuator linea una prius; „Rex Wenceslaus de solio pellitur.“ Hinc patet anno 1248 Pragae studium, quo nomine utique latina solummodo studia intelligi possunt, indubie extitisse, ac simul causa manifesta adparet, ob quam studia ista perire vel omnibus, vel continuatori nostro soli videri poterant, nempe ob seditionem et arma Přemisli Ottocari adversus patrem Wenceslaum nefarie et impie mota. Praeterea verba Continuatoris ipsa aperte ostendunt, illum nequaquam de ipso jam studiorum interitu sequuto cogitasse; non enim dixit, studium periit, sed „perit“, id est, perire incipit, perire videtur, aut perire potest.

Ceterum locus hic ipse plurimum habet momenti ad sententiam nostram probandam; conjunxit enim eum auctor arctissime iis locis, ubi tristissima illius temporis fata Bohemiae commemorat, res Wenceslai regis per summum scelus adflictas, obitum reginae Cunegundis, et incendia Pragae ac per totam Bohemiam. Hinc indubie sequitur, occasum illum studiorum, quamvis solummodo opinatum, velut calamitatem aliquam publicam deploratum, et litteras tunc in Bohemia non minimi habitas fuisse.

III. Sed neutiquam illae interierunt, imo ut e Continuatore Cosmae secundo mox patebit, anno circiter 1260 adhuc magis promotae sunt. Nam continuatio haec, itidem a Canonico Pragensi, quamvis et hoc anonymo profecta, haec ad annum 1271 habet: Vitum nempe, Decanum ibidem, qui autem eo ipso anno jam obierat, beneficentia et omni virtutum genere prae ceteris conspicuum:

a. „singulis diebus tres aut quatuor scholares pau-„peres ad mensam invitasse, et ipsum, ut iis „largiter ministretur, praecepisse,“

b. „eundem non tantum scholaribus subvenisse Pra-„gensi ecclesiae deservientibus, sed etiam in ge-„nerali studio existentibus, ut in plurimis po-„tuit, providisse.“

Quodsi quis dubitaret, an schola haec similis aliquo modo gymnasiis nostris fuerit, verba auctoris dubium omne facile eximere possint. Ipse enim illam ibidem opponit quodammodo *studio generali*, ut proinde *studium particulare*, seu trivium illud, grammaticam, rhetoricam, et dialecticam complectens, ejus nomine intelligi debeat.

c. Idem Continuator ad eundem annum narrat „praedium aliquod ab Eberhardo canonico Pra-„gensi emtum et censum in alendos duodecim „scholares, qui boni infantes appellati sunt, ex eo adsignatum fuisse.“ Quum vero Eberhardus jam ante annum 1271, et ut e verbis auctoris apparet, longiori antea tempore obierit; colligi e toto continuatoris contextu potest, haec alendis 12 scholaribus ab Eberhardo constituta subsidia, si non prius, certe jam anno fere 1260 comparata fuisse. Fuerant itaque scholae eo quoque tempore in arce Pragensi.

d. Si de aetate antiqui in bibliotheca Metropolitana codicis, scriptas duodecim his scholaribus leges, ac inter istas et hanc, ut omnes latine loquantur continentis, certo nobis constaret; hoc etiam argumento ratum ac firmum esset, scholam in arce Pragensi anno 1260 gymnasiis no-

stris, quoad hanc institutionis partem, non absimilem fuisse; quamquam vix dubitari possit, quin regulae illae anno jam 1260, aut non multo serius scriptae fuerint, praesertim cum, elapso jam integro saeculo a tempore Marci Decani, quem Cosmas tanquam omnibus artibus liberalibus expolitum, et didascalum *κατ' εξοχην* summis laudibus ornat, scholae Pragensi id disciplinae literariae incrementum accessisse, ut etiam demus, istud non multo prius factum fuisse, perquam verisimile sit.

IV. Sed habemus, ut initio dixi, testimonia quoque externa, quae ut ad fidem graviora, ita etiam luculentiora sunt; fere enim scriptores patrii et indigenae res domesticas, ut alioqui suis notas, strictim tantum et verbotenus memorant, cum exteri popularibus suis res aliorum, quippe ignotas, apertius referunt.

Primus horum testium est:

a. Volcmarus, Abbas quondam Cisterciensium in Bavaria, qui in chronico suo apud Oefelium tom. II. saltem paucis adnotavit, se hoc anno (1278), quo rex Ottocarus II. a Rudolpho Imperatore proelio victus et caesus fuerat, Pragae scholarem fuisse. *)

---

*) Verba Volcmari sunt: „Et ecce Rex junior (Wenceslaus, „Přemisli Ottocari victi filius), subito incipit infirmari. — „Nos vero scholares, quodam modo pueriles, qui solent „se ingerere familiarius et ardentius casibus quibuscunque, „excurrimus, et montem (arcis Pragensis) conscendimus; „intrantes autem regiam aulam, vidimus ibidem regem „(morbo adfectum).“

Disertius vero studiorum suorum Pragae meminit b. Engelbrechtus, Abbas deinde Benedictinorum in Styria. Hic enim in epist. de studiis et scriptis suis apud Pezium Tom. I. Anecdot. perspicue scribit, „se anno 1271 studiorum causa Pragam venisse, ibique sub magistro Oscono et „magistro Bohumilo in castro Pragensi, legen„tibus grammaticam et logicam studuisse, et „tantum profecisse, ut inter socios non minimus „reputaretur: ibidemque etiam audisse se libros „naturales a magistro Georgio canonico et scho„lastico, postmodum ibidem episcopo electo. „Cum vero concilio Lugdunensi celebrato rumor „Pragam venisset, Rudolphum regem electum et „a Pontifice (anno 1274) confirmatum fuisse, sta„tim omnibus scholaribus ex Austria et Styria „Pragae studentibus, ex terra recedendum fuisse.“ Profecto hoc testimonio nihil apertius et luculentius esse potest, ad omne dubium de latinis olim in arce Pragensi scholis tollendum. Patet enim inde, non tantum sat amplam literarum institutionem ibi obtinuisse, sed etiam scholas istas hanc adsecutas fuisse celebritatem, ut exteri quoque ex Austria, Styria, et Bavaria, studiorum causa ultro eo commearent, atque prodiisse ex hac disciplina viros, qui scriptis etiam libris memoriam sui ad posteros reliquerunt.

V. Superest adhuc gravissimum et omni exceptione majus testimonium, auctoritate publica Summi Pontificis Clementis VI. confirmatum, qui in decreto anno 1347 edito, quo erectam Pragae universitatem, ratam habuit, studii particularis, *quod jam dudum*

in hac metropoli institutum fuisse ait, disertis verbis mentionem facit *).

Studium hoc particulare grammaticam et aliquam poeticae et rhetoricae partem complexum fuisse, negari nequit. In qua vero urbis nostrae parte illud locum habuerit, ex iis, quae e Cosma, ejus continuatoribus et ex Engelbrechti testimonio attulimus, abunde patet, ne nomen ipsum metropoleos in decreto Pontificis, quod nulli, quam Minori Pragae magis convenit, urgeamus.

His itaque disertis testimoniis satis probatum esse existimo, scholas latinas ad. D. Viti in arce Pragensi ab anno 1068 usque ad annum 1278. obtinuisse.

Praeterea autem e compluribus locis, in laudatis chronicis nostris obviis, justa consecutione inferri potest, illas jam integro fere ante seculo, itaque ante annum 1000 inceptas fuisse, atque etiam continua

*) Pontifex hic Bohemis ad se Avenionem venientibus inprimis comem se et affabilem offerebat, erant itaque res Bohemiae illi adfatim cognitae. Locus est Bohuslai Balbini in vita Arnesti Archiepiscopi Prageni scribentis: „Erat hic „pontifex ex gallica gente Bohemo nomini universim ami„cissimus, adeoque benevolus, ut se Bohemorum patrem „gauderet adpellari. Nemo, ne quidem peregrinus inops „aut viator, si modo e Bohemia se venire diceret, arce„batur conspectu. Statim inter aulicorum manus, qui do„minorum mores imitari, praecipuam aularum artem pu„tant, ad Pontificem admissus, laete exceptus, interroga„tionibus de Bohemia fatigabatur; laute deinde habitus, im„petratis, quae petebantur, donis insuper auctus, reverte„batur ad suos."

temporum serie, nisi cum bellis aut publica aliqua calamitate quid turbatum fuisset, ad erectam usque universitatem perdurasse.

Ut itaque credam, scholam ejusmodi aliquam, pro temporum ratione, mox post erectam Pragae anno 967 cathedram episcopalem, in arce Pragensi institutam fuisse, his adducor rationibus:

I. In literis ad ducem Boleslaum II. eodem anno 967 datis, quibus cathedra ecclesiae Pragensi conceditur, Pontifex Joannes XIII ritum latinum vult observari et episcopum eligi, qui literis latinis adprime eruditus sit.

Profecto Boleslaus, qua erat pietate eximia et constantia in rebus rite agendis, summopere adnisus est, ut ritus ille latinus in ecclesia exacte observaretur et de idoneo ad hoc clero certa ratione provideretur. Fuisse autem jam ante annum 967 clerum in Bohemia literis latinis pro eo, ut temporum videlicet ratio ferebat, institutum, vel inde colligi potest, quod ante erectum Pragae episcopatum ecclesia Pragensis cathedrae Ratisbonensi, ubi ritus latinus semper obtinebat, adjuncta erat; et certe nec Boleslaus cathedram ecclesiae Pragensi a Pontifice impetrari unquam posse existimasset, nisi compertum jam fuisset, esse in Bohemiae clero, qui muneri huic sacro idonei essent; praeterea ipse Pontifex in laudatis literis neutiquam Bohemos, sed restricte Bulgaros, Slavos et Russos a ritu latino alienos esse significat. Quod autem Boleslaus praeoptarit, ut Ditmarus, e Saxonia oriundus, episcopus eligeretur, nusquam id Cosmas imperitiae aut culpae alicui cleri bohemi adscribit, sed gratiae duntaxat, qua Ditmarus, linguae Bohemae alioqui pro-

be gnarus et in Bohemia diu versatus, insuper doctrina et eloquentia prae caeteris pollens, apud ducem valebat.

Constituta itaque Pragae cathedra, ac quidem e literis Pontificis ritus latini, dubitari nequit, quin Boleslaus, Princeps religiosissimus, et in peragendis, quae optime coeperat, sibi constans, omnia, qnae temporum illorum ratio admittebat, ad erudiendos pro sacris obeundis idoneos ministros, cumulatissime praestiterit; ipse enim Cosmas ad annum 969 testatur: „quidquid Praesul Pragensis usque hodie in suo pos„sidet vel obtinet episcopio, id omne Boleslaum gra„tuita concessisse pietate, et canonum sacra confirmasse „auctoritate."

Quae dux tam pie et sapienter susceperat, in his certe obsecundantem sibi habuit antistitem. Intererat insuper antistes hic, sive adhuc Ditmarus, sive ex opinione Pessinae in Phosphoro p. 165. jam Sanctus Adalbertus fuerit, ferendis legibus, iisque adstipulatus est, ut habet Diplomat. Cod. apud Gudenum pag. 353, quas Willigius, Archiepiscopus Moguntinus, de didascalo et scholaribus canonicis statuerat, et jam anno 976 promulgaverat. Regulae istae procul dubio ad normam legis Carolinae, quae in memoriam magni hujus principis ubivis in honore fuit, de scholisin omnibus episcopiis et monasteriis instituendis scriptae fuerant.

Itaque nec dubitare fas est, quin praesul Pragensis, qui iis scribendis ipse adfuit et adsensus est, illas in cathedra sua saltem jam anno 976 executioni mandarit, et mandare debuerit, principe suo super cetera ad haec tam provido et munifico. Non obstat, popularium quosdam ad talia rudes et rebus novis iniquiores forsan fuisse; nam contra experientia docet, recens institutis, ob in-

natam res novas cognoscendi cupiditatem, animos hominum et studia saepius magis excitari.

Alter a Ditmaro antistes ad d. Viti S. Adalbertus fuit, qui teste Cosma, „annis decem Parthenopoli in „studiis literarum exactis, in patriam redux, haud mo- „dicam librorum copiam secum attulit.“ Hic a duce Boleslao et Caesare Ottone II ob singularem vitae sanctimoniam et doctrinam maximi habitus, disciplinae ecclesiasticae in omnibus observandae religiosissime, ut ex annalibus nostris constat, invigilavit, qua spe certe etiam fretus, Romam laetus contendere poterat.

Ceteros quoque praesules, qui S. Adalberto ab anno 996 successerant, ritus latini observantissimos fuisse, inter omnes constat, quod sine adsiduo literarum latinarum studio, ecclesiis cathedralibus cunctis praescripto, lege Caroli M., ubique ut jam dixi, recepta, fieri certe nullo modo potuisset.

Viguisse tunc studium hoc apud nos, suo videlicet modo, alio Cosmae testimonio ad memoratum jam supra annum 1067 probatur. Cum dux et rex Wratislaus, Severo episcopo mortuo, Lencium Teutonem, fratre Jaromiro posthabito, cathedrae Pragensi admoveri praeoptasset, proceres autem Bohemiae fratri ducis magis faverent; Koyta, comes palatinus, unus ex iis, „verax in sermone“ ut ait Cosmas „et verbo simplex,“ causam Jaromiri coram Wratislao inter cetera his verbis tuitus est: „Si tibi displicet frater tuus, cur sordet nostratium „clerus non modicus, scientia aeque praeditus ac „Teuto iste? O, si tot habeas episcopatus, quot cernis „capellanos hac in terra progenitos, episcopatu dignos.“

Erat itaque illo jam anno numerus cleri Bohemi, ritu et literis latinis usque ad facultatem et doctrinam

muneris episcopalis eruditi non exiguus, quod certe non unius aut duorum, sed multorum annorum spatio, diu igitur ante dictum annum 1065 effici poterat.

Ut concedam, quosdam ex hoc numero in scholis exteris, Parthenopolitana, Fuldensi aut Leodiensi Germaniae, aut Patavina et Bononiensi Italiae, doctrina uberiori instructos fuisse; tamen id de illustrioribus fere solum et ampliori fortuna usis, quorum nomina prope omnium ad nos perscripta exstant, concedi potest, atque de istis hoc dumtaxat modo, postquam jam domi prima studiorum rudimenta posuerant; nam ut putem, rudem plane juventutem, ac etiam elementorum latinorum ignaram, ad exteros magistros missam fuisse, adduci nullo modo possum.

Sedem autem cleri hujus sat numerosi primam et praecipuam in arce Pragensi ad D. Viti jam ad annum 1023 fuisse, idem Cosmas indicat. Nam de Helicardo, quarto episcopo Pragensi, eo anno mortuo, scribit: „illnm dominicae familiae fidelem in mensura tritici „dispensatorem fuisse.“ Nomine *familiae dominicae* profecto solummodo clerus, lateri ac domui, et familiae quodammodo praesulis sui adscitus, intelligi potest; prout mensura et dispensatio tritici illud notat, quod deinceps in statos canonicorum proventus nomine *praebendae* transiit. Sed eodem in loco refert nos Cosmas ad ipsam Ditmari aetatem, itaque ad annum circiter 968, cum jam tum similem dispensationem, alia tantum decimarum ratione, locum habuisse aperte innuit. Quamquam de clero, primaevo jam tempore ad D. Viti instituto nemo dubium movere potest; quum Cosmas illius, unoquoque episcopo

Pragensi electo, a Ditmaro inde jam, laetantis et congratulantis verbis disertis mentionem ubique faciat.

Praeter haec omnia:

„Sententia, quam Cosmas ipse de studiis latinis aetatis suae in praefatione et in epilogo Lib. I. chronicorum quodammodo fert, luculentissimum praebet testimonium ista apud nos ante annum 1068 non tantum coepisse, sed etiam pro temporum ratione promota fuisse. Non enim ille solummodo lectores, sed et censores scriptis suis expectat. Ita in praefatione ad Gervasium Magistrum dicit: „chronicon suum nullo grammaticae artis lepore „politum et vix latine digestum, ac nisi a Gervasio limatum fuerit, omnino abjiciendum esse.“ Porro: „scire „se, nonnullos ad fore aemulos, qui derideant for„mam hanc scriptionis, et ea solummodo lynceis „oculis inspiciant, quae sunt dicta improprie, aut „ubi mens scribentis titubavit.“ In epilogo autem Lib. I, postquam ipse chronicon suum „styli rusticitatis“ et quasi insipientiae alicujus insimulasset; versiculis etiam suis, leoninis nempe illis, veniam petit, non plane inficete his verbis: „Quod autem in „quibusdam locis quasi metricos versus invenis, scias „me scienter nescium fecisse, dum feci versus.“

Certe non penitus coecum et rude fuerat saeculum, sed praecedenti jam tempore nonnihil limatum, quo censura et reprehensio ob stylum minus latinum et verba non propria, scriptori alicui, velut Cosmae nostro adeo reformidanda erat.

Supervacaneum omnino esset, pluribus adhuc testimoniis probare, studia latina ad D. Viti in arce Pragensi ab anno jam fere 968, prout scilicet tempora illa ferebant, obtinuisse, id solum paucis adhuc

commonstrandum puto, perdurasse illa, dum res in Bohemia tranquillae et pacatae erant, certe usque ad erectam a Carolo IV. universitatem.

Facili id et luculento argumento patet; prodierunt enim ex illustri ad D. Viti collegio ab anno circiter 1074, continua prope serie se excipientes Canonici chronicorum Bohemiae scriptores latini, ad erectam usque anno 1348 universitatem, nempe:

I) Cosmas Pragensis, Decanus, vixit adhuc anno 1125.
II) Vincentius, Canon. Pragensis 1167
III) Continuator Cosmae I^{mus}, Canon. Prag. . 1249
IV) Continuator II^{dus}, Canon. Prag. . . . 1283
V) Franciscus Can. Prag. 1342
VI) Benessius de Weitmil, Canon. Prag. . . 1374

His scriptoribus latinis, ex uno eodemque collegio ad D. Viti, ubi studia latina adhuc 1278, inprimis viguisse, jam ante probavimus, sese continuo temporum ordine subsequentibus, mirum quid et fide absonum esset, si, rebus ceterum pacatis et tranquillis, illa ibi quondam desiisse putarentur, praesertim cum progressu temporis eorum semper major et opportunitas et necessitas ostenderetur.

Res memoratu dignas, quas illi ad temporum historiam et utilitatem nostram consignarunt, animo grato excipiamus; salebras et naevos styli aevo, quo vixerant, condonemus. Omnia sic fere tunc et ubivis gentium scribebantur, literae principum publicae et diplomata, quae dicunt; nedum illi usui, quamvis non civitate latina, attamen auctoritate quasi publica recepto, contraire valuissent. Institutis diutius jam passim universitatibus, barbara et soloeca sermoni latino tantum abest, ut detersa fuerint, ut potius hinc et

illinc gravius invaluerint. Certe nemo *formalitates, hiccietates, quidditates,* et alia similia verborum portenta, quae Erasmus salse ridet, magis latina reputabit. Nostri autem illi chronographi et sat magnam vocum latinarum copiam, et aliquanto justioris et concinnioris sententiarum compositionis se non penitus ignaros fuisse ostendunt, quoties animum magis ad stylum adverterant.

Cosmas certe, ut aetate, ita et ingenio major non poenitendam scriptorum probatissimorum notitiam multis locis prodit, interdum adposite ad animum legentis scribit, atque si a labe saeculi sui immunis, a similiter cadentibus magis sibi temperasset, et adstrictiori disciplina quadam fuisset usus, nae ille orationis etiam genere egregium aliquod opus ad posteros reliquisset. *) Similiter cadentia autem, seu homoeoptota illa, imitatione forsan aliqua Ovidianorum metrorum adductus, anquisivisse videtur.

*) Certe Cosmas, utut a barbaris et soloecis aevi sui non satis sibi semper cavit, dum sui ipsius et eorum, quae praclara legerat, magis meminit, ita scribit, ut mireris, hanc illi facultatem superasse. Interdum rerum formam et speciem verbis et suo dicendi genere ita nobis adumbrat, ut cernamus, genus tunc vitae hominum omnino non incultum, nec impolitum fuisse, imo ad non invenustum quendam decorem et magnificentiam profecisse. Equidem eo gravius offendebar xylotypis iconibus, quas antiqua editio Hagecii nostri habet, rudem quandam, informem et vastam rerum et hominum speciem apud proavos nostros exhibentibus.

Restat, ut pauca adhuc, quasi per lancem saturam adferam, quae propositis ante testimoniis aliquid momenti addere possint:

a. ex Cosma Permulta ex vita S. Adalberti, haud dubie Cosmae attribuenda, excerpi possent, quae non spernendam ejus ad poetica facultatem, si a versuum leoninorum structura tantisper recedamus, et tempore illo singularem linguae latinae copiam testantur. Sic vero orditur:

„Quattuor immensi jacet inter climata mundi,
„Terra potens, magnae quondam Germania famae,
„In cujus parte locus est non ultimus arte,
„Natura strictus, Bohemia nomine dictus,
„Armis atque viris et rebus dives opimis,
„Sed nimium vanis gens illa est dedita sacris.“

In chronico ad annum 1006 epitaphium Emmae, conjugis Boleslai II.

„Quae fuit ut gemma, vilis jacet. en cinis Emma.“
Dic, precor, huic animae da veniam Domine.

Ex eodem ad annum 1037, ubi in funere Odalrici ducis frater ejus, lumine ab illo privatus Jaromirus loquens inducitur:

„Mortuus ecce jaces, nec ego nec tu modo gaudes,
„Hujus terreni fugitivo culmine regni.

Ibidem ad annum 1055 versus Antistitae, quae parthenoni ad D. Georgii praeerat, tributi de Spitigneo, qui fornacem ad aedes parthenonis spectantem, muri in hac urbis parte exaedificandi causa, necessario dirui jusserat:

Nobilis, insignis, vir fortis et inclytus armis,
Quam magnas turres nunc expugnavit et urbes,
Et sibi famosum fert de fornace triumphum,
Tempora jam lauro victricia cingat et auro;
Clerus multimodas campanis personet odas,
Dux quia dejecit fornacem, miraque fecit.

Versus hi, animi intemperantis et in Spitigneum, moenia urbis recte designantem ac omni virtute praestantem injurii, ab eo postea rerum potente, in illa parthenonis Antistita poena justa, teste eodem Cosma, vindicati sunt *).

Ibidem ad annum 1088. de milite quodam, Beneda nomine, postea jussu regis Wladislai ultimo supplicio adfecto:

„Quidam miles erat, qui Beneda nomen habebat,
„Magnanimus juvenis, praestanti corpore, talis,
„Hector erat qualis, pulcher et Turnus in armis,
„Ex Jurata natus, cui primus Thas erat avus."

Item ad annum 1090. de obitu Gebhardi episcopi, fratris regis Wratislai:

„Sol Julii senas, qua tangit luce calendas,
„Gemma Sacerdotum, cunctorum lux Bohemorum,
„Dogmate praeclarus, pius antistes Gebehardus,
„Vivat ut in Christo, mundo migravit ab isto;
„Moribus et vita de cujus dicere multa
„Fert animus."

Plura id genus excerpi possent, sed ad facultatem sermonis latini Cosmae, homoeoptotis illis quidem, quae sententiam interdum omnem perimunt, tantisper sepositis, cognoscendam haec sufficiunt. Possit videri Cosmas similiter cadentibus suis recentiorum populorum metris consonis quodammodo praelusisse.

---

*) Dux hic, Spitigneus II., etiam de aede D. Viti noviter instaurata optime meruit.

b. E continuatore Cosmae altero ad annum 1271. epitaphium Viti, Decani Pragensis:

„Da Deus aethereos Vito conscendere coelos,
„Astrigerumque sacro sub nomine noscere coelum,
„Perpetuoque frui sine mortis legibus aevo."

c. Franciscus chronico suo plurimos versiculos leoninos intexuit, Cosma tamen longe inferior, cujus homoeoptota etiam lectu duriora sunt. Sermonis latini etsi non artem, attamen copiam sat multam ex iis agnoscas.

Enotavi adhuc e chronicis nostris miscella quaedam, ad rem non nihil facientia, quae hic antiquitatis simul alicujus causa non prorsus omittenda duxi:

1. Ad annum 1068 scribit Cosmas, se synodo majori a quatuor Archiepiscopis et duodecim Episcopis Moguntiae celebratae interfuisse.

2. Ad annum 1153. Vincentius in chronico suo Juditham, Wladislai ducis conjugem, latine doctam fuisse refert.

3. Ad annum 1180 Chronicon Siloense haec habet; „Valentinus, capellanus Elisabethae, ducis Friderici „conjugis, episcopatui Pragensi ab illa destinatus, a „canonicis constanter rejiciebatur, quod linguae lati„nae minus gnarus esset." Non erat autem e gremio ecclesiae Pragensis. Pilgrimi, Praepositi Pragensis, interventu solummodo Elisabethae auctoritati tandem obtemperatum est.

4. Anno 1237 Burchardus vel Bernardus a Scholastici munere ad episcopatus dignitatem evectus.

5. Anno 1267 teste secundo Cosmae Continuatore, concilio Viennae in Austria a Cardinale Guidone

habito, Joannes episcopus et plures canonici Pragenses interfuerunt. Vix hic necessarium putarim, adnotasse, in conciliis celebrandis linguam duntaxat latinam usitatam et solennem fuisse.

6. Anno 1275, ut idem continuator habet, celebrato a Gregorio X. Lugduni concilio idem Joannes cum quibusdam canonicis intererat.

7. Ad annum 1278, quo Joannes episcopus jam obierat, idem continuator scribit, „illum facundissi„mum eloquentia utriusque idiomatis, bohemici et la„tini fuisse.“ Pessina autem in Phosphoro pag. 335, ejusdem sermones latino idiomate conscriptos, quos inter sacrorum solennia ad clerum adstantem habere solebat, suo tempore extitisse adfirmat.

8. Anno 1279, continuatore nostro teste, profectus est Tobias Episcopus Pragensis in Moraviam, „ad„sumtis decem canonicis Pragensibus eminentioris „discretionis atque literaturae peritiores, et aliis ca„pellanis episcopalis curiae.“

9. Ad annum 1281, ibidem. Episcopus idem tantum sacris ordinibus uno die initiandorum numerum habuit, ut „consecratio inita mane vix potuerit toto „die finiri, ita tamen, ut in crastinum communicatio „eucharistiae sacerdotibus tunc consecratis sit trans„lata.“

10. Ad annum 1290. Franciscus et Benessius de Weitmil in chron. scribunt, regem Wenceslaum II., licet numquam literas didicisset, detentus videlicet in tutela Ottonis Brandeburgici, „recte tamen latine „locutum, ac alios saepe ab eo emendatos fuisse.“

11. Anno 1295. Gregorius, Decanus ad D. Viti et magister in artibus, in cathedram episcopalem evec-

tus fuisse a Benessio refertur, prout jam antea anno 1258 Joannes ob gestum Scholastici munus dignitate episcopali ornatus fuerat, unde patet, literas et literatos tunc praemia amplissima consequutos fuisse.

12. Anno 1297 aderant, teste Francisco et Benessio in chron. in solenni regis Wenceslai II. inauguratione in arce Pragensi duo Archiepiscopi et octo Episcopi, quorum nomina ipsa Franciscus recenset, praeter permagnum sacerdotum dignitate aliqua eminentium numerum. Quibus e diversissimis regionibus advenis quod commercium aliud sermonis fuerit, praeterquam latini, cujus rex ipse tantopere diligens erat, nemo profecto dispiciet. Hac etiam occasione Franciscus hos versiculos leoninos recitat:

„Laetantes mente de Rege novo sapiente,
„Dicunt: Rex divus sit vita perpete vivus,
„Regnet, proficiat, felix super omnia fiat."

13. Anno 1301, ibidem. Episcopus Pragensis Joannes IV., concilio Viennae Allobrogum a Clemente V. celebrato „cum capellanis suis interfuit." Redux Pragam ipse solennem synodum habuit, in qua multa saluberrima instituit. — Qui donata ab eo dispensabat, canonicus Michael, Magistri quoque in artibus videlicet nomine venit. — Idem episcopus conclavia aedium suarum, praeter alium adparatum, multis quoque versibus „doctrinalibus et moralibus, quos e curia Ro„mana adtulerat," adornavit.

14. Ad annum 1316. „Idem cultum divinum pro„movit, sanctis doctrinis et constitutionibus erudiendo." Tres, quas vocant „praebendas," e peculio suo largo cujuslibet proventu constituit, ita, ne „reliqui ca-

„nonici in distributionibus suis quotidianis, et alii ec-„clesiae ministri" ullum detrimentum caperent.

Testimonia haec et vestigia quasi quaedam, plura certe, quam necesse erat, attamen ob non ingratam vetustatis alicujus memoriam hic collecta, satis superque demonstrant, antiquissimum in tota Bohemia linguae latinae usum et studium ad D. Viti in arce Pragensi fuisse, ac numquam non obtinuisse, id quod alioqui pronum erat credere, cum Praga Minor et anteriori Veteropraga tempore condita, et celeberrima D. Viti ecclesia inclyta, atque regia ducum et regum Bohemiae arce nobilis et clara sit.

Restat, ut ostendam, nulla ejusmodi testimonia de alio in Bohemia studio latino adeo vetusto adferri posse. E Christanno quidem, aetate tamen Cosmae certe posteriori scriptore constat, Sanctum Wenceslaum, divum tutelarem nostrum, in oppido olim Budecensi literis institutum fuisse. Verum fuit haec, ut historiae nostrae literariae peritissimus quondam auctor Faustinus Prochaska in Fatis Lit. in Bohemia Saecularibus luculenter monstravit, privata solummodo et unius sancti nostri principis propria institutio. Nam scholae latinae Budecensis nullum ex antiquitate ipsa uspiam vestigium, cui aliquis firmiter insistere possit, nec antea, nec postea adparet.

Scholae cujusdam Teinensis pervetustae Pragae Veteris posteriores scriptores mentionem inferre occoeperant, sed nequidquam, testimonio quippe antiquo omni destituti.

In arce Wissehradensi scholam fuisse teste Francisco, qui rectorem ejus se fuisse ad annum 1333

scribit, indubium est; attamen annus hic *) aetate scholae in arce Pragensi longe posterior est. Ceterum nullum reperitur testimonium, quamdiu schola haec Wissehradensis duraverit, aut quid inde literae latinae incrementi ceperint, nisi forsan Franciscum ipsum, ejus rectorem, excipiamus.

Nulla itaque schola in Bohemia cum illa, quam in arce Pragensi obtinuisse demonstravimus, nec antiquitate, nec alia ulla ratione conferri potest.

Studia autem latina ad D. Viti usque ad Caroli tempora et erectam ab eo universitatem perdurasse, jam inde patet, quod duo illi posteriores chronographi e Collegio Canonicorum, Franciscus et Benessius aetatem Caroli attigerint, Benessius vero ei etiam superstes fuerit.

Causam autem, ob quam ex eo abhinc tempore nulla exstantior memoria scholae metropolitanae occurrit, quivis facile adsequi poterit. Converterat nempe nova universitas, quam Carolus IV anno 1348 instituit, ac vere regia munificentia, et paterno favore tuebatur, omnium in se studia et oculos; itaque hanc cuncti spectare, eo cuncti commeare, cujus institutis omnia Pragae et in Bohemia doctrinae studia contineri non immerito videbantur. Hoc tamen non obstat, quominus studia quaedam, privata licet magis, et domestica quasi ratione tum in arce Pragensi, tum in diversis Pragae Minoris monasteriis

*) Joannes Berghauer in Protomartyrio S. Joannis provocat ad libros Erect. Vol. 13. k. Sed nil ultra ibi legitur, nisi haec ad annum 1400. „Pro capella S. Petri in Wisse-„hrad *prope scholas Wissehradenses* 10 gr. census annui „debentur in Podol, ex testamento Domini Stephani dicti „Kurt, choralis ibidem in Wissehrad.“

exercita fuerint. Ea enim est et semper fuit cleri Bohemi virtus, ut is juventuti ad bonas literas et pietatem erudiendae operam suam quovis tempore ultro impenderet, et in hoc tam laudabili consilio omni ratione eniteretur.

Nefas autem putarem, non meminisse hic Bohuslai ab Hassenstein, L. B. de Lobkowitz, viri et natalium splendore, et ingenio, ac omni virtutis et doctrinae genere clarissimi, qui anno circiter 1500 et sequentibus unus cum toti Bohemiae, tum certe Pragae Minori palaestrae cujusdam literariae instar fuit, et popularibus suis exemplo, studia literarum sanissima ratione tractandi, et ardentius amplectendi praeluxit, ab indigenis et exteris jure meritissimo dilaudatus et admirationi habitus.

Jam ad aliquam notitiam institutionis gymnasii nostri exponendam accedamus. Deprometur autem ea 1) ex historia Societatis Jesu Provinciae Bohemiae, tomis quinque a P. Joann. Schmidl conscripta, et ad annum 1653 procurrente, ex qua verba ipsa saepe adferam, et auctorem signo (H. S.) denotabo; 2) e Literis S. J. annuis manuscriptis, quas in bibliotheca Celsissimi Principis Augusti Longini de Lobkowitz inspicere mihi licuit, literae hae signo (L. A.) indicabuntur. 3) Ex testimoniis de rebus Societatis, itidem manuscriptis, in c. r. inclyti Gubernii tabulario adservatis, in quo omnia huc spectantia decreta caesarea, et diplomata perlustrare mihi concessum fuit; universim autem ubi nulla alia auctoritas hic allegata fuerit, intelligendum est, testimonia illa e tabulario hoc depromta fuisse.

II.

Scholae Latinae Micropragenae ab anno 1630 post erectam universitatem.

Anno 1552 idem illud inclytum ecclesiae Metropolitanae capitulum, quo, ut vidimus procurante studia nostra jam antiquitus steterant, de gymnasio seu collegio Pragae Minoris instituendo et Societati Jesu tradendo, academiae Veteropragensis aemulo, eique, ut res erant, quodammodo opposito, curam susceperat. Itaque ea de re supplex apud Ferdinandum I. Augustum per Praepositum suum, legationis in hac causa susceptae primas tenentem Henricum Pissek, enixe egerat, templo microprageno S. Mariae Magdalenae, in jure tunc capituli, cum quatuor adjacentibus aedibus ad hunc finem liberaliter oblato. Augustus precibus legatorum benigne exceptis, se negotium filio Ferdinando, Proregi tunc Bohemiae, demandaturum promisit. Sed bellum, armis a Mauritio Saxoniae motis, rursus exardescens rem disturbavit.

Anno 1555 negotium collegii hujus erigendi redintegratum, et Canisio e S. J. monasterium ordinis D. Augustini, tunc plane desertum, cum aede S. Thomae micropragena in eundem finem oblatum fuit. Sed Canisio locus minus opportunus visus est, quippe qui, ut nominatus hic auctor Historiae Societatis Bohemae t. I. p. 69 et 70 disertis verbis ait, „urbem „veterem spectabat, adeoque Proregem Ferdinandum „a sententia dimovit, causatus istud, quod angustis„sima in urbis regione, domibus civium et nobilium

„cinctus, procul a reliquis duabus urbibus, vetere „scilicet et nova Praga distaret, et usibus suorum et „scholis, quas vel tum frequentes optabat et spera- „bat, minus esset idoneus.“ Ita, quae ad Pragae Minoris arcisque regiae utilitatem et capitulum metropolitanum exoptarat, et Princeps sapientissime proposuerat, Canisii interventu irrita fuere.

Ab hoc inde tempore de studiis latinis Pragae Minoris nullam usquequaque mentionem literis consignatam inveni, nisi quod Schallerus, egregius topographiae Bohemiae auctor t. II. enarrationis de locis Pragae memorandis p. 70 refert, anno 1611 ab iis, qui confessioni augustanae addicti erant, templum S. S. Trinitati dicatum, quod nunc S. Mariae de Victoria nomine venit, aedificari coeptum, ac mox ab iis scholas latinas, commode, ut Schallerus ait, institutas ibidem fuisse, quas tamen non diu perdurasse certum est.

Caruisset itaque urbs nostra minor gymnasio et publica literarum sede, nisi hoc beneficium et ornamentum providentia et auctoritate Imperatoris Ferdinandi II. illi obtigisset. Itaque auctor H. S.

Ad annum 1625 haec narrat: „Paribus Imperatoris „ac optimatum Bohemiae favoribus ac studiis agi- „tari coeptum est de domo, quam Professam dicunt, „intra Pragam Minorem statuenda et de gymnasio ei „adjungendo, quo arcis Regiae et Minoris Pragae, „maxima nobilitate refertissimarum juventus, moles- „tia longissimi itineris ad Majoris Pragae academiam „libera, receptum haberet. Consilii hujus ducem ac „patronum se fore Carolus Princeps Lichtensteinius, „regni gubernator statim pollicitus, alter vero Wald-

„steinius, Princeps et militiae Caesareae rector, auc-
„torem operis esse se velle professus est.“

Eodem simul anno ecclesia D. Nicolai, Cardinale et Archiepiscopo, comite de Harrach, adsentiente, Societati praedictae tradita fuit, nec tamen haec, quam nunc cernimus, a Societate deinceps ad hanc magnificentiam exaedificata, sed antiqua illa, structura longe simpliciore et arctiore spatio. Ceterum totum negotium hoc de domo professa et gymnasio, peste interpellante et duce Waldsteinio in bellum Danicum profecto, expediri non poterat.

Anno 1626. Dux Waldsteinius 4000 fl. Societati ad emendam templo S. Nicolai adsitam domum, (parochi, quem vocant, illa cum scholis trivialibus fuerit), suppeditavit. Actum deinde cum senatu Microprageno de transferendis scholis trivialibus. „Ita
„vacuefacta domo et schola parochiali et remotis, in-
„primis studio Principis Lichtensteinii et Pauli Comi-
„tis de Michna obstaculis, quibus haec coepta rerum
„commutatio impugnabatur, domus professa opere tu-
„multuario instructa, ac die 23. Decembris illius anni
„e collegio Societatis Clementino nova in eam colo-
„nia undecim capitum deducta fuerat. Singulis, quae
„ad vestitum et lecti rationem pertinent, collegium
„(clementinum) providit, imo et victus subsidia inter-
„dum inde praestabantur, quod eleemosynae difficilli-
„mo tempore, insuper ab hominibus, Societatis insti-
„tutum aegre capientibus, exiguae adfluebant.“ (H. S.)

Anno 1627 domus professae incolae primi fuerunt PP. Georgius van der Boon, Paulus Geronis, Wenceslaus Rauschar et Conradus Fey, praeter laicos

quosdam, quibus P. Thomas Lutring, Superioris nomine praeerat. Nomina horum huc transcripta sunt, quia etiamsi non omnes docentium numere in erectis mox anno 1628 scholis nostris functi fuissent, primi tamen illarum testes fuerint.

Anno 1628. Dux Albrechtus Waldsteinius dotem 45000 fl., qnam instituendis scholis et domui professae jam ante destinaverat, literis Pragae 17ma Aprilis scriptis confirmavit, quam, annuis vicibus, anno 1633 ex integro persolvit. Haec ita coepta Imperator Ferdinandus II. auctoritate caesarea, decreto 6ta Maji ejusdem anni scripto rata habuit. Ab hac itaque die primordia gymnasii nostri processerunt. Saluti publicae omni modo consulens Imperator in decreto ipso rationem consilii sui his verbis declaravit: „in id opus „jam ante se impense inclinatum fuisse, utpote ex „quo tam uberes qua pietatis, qua caeterarum virtu„tum artiumque fructus percipiendi sint."

Aliud insuper eo ipso anno commodum gymnasio nostro adornando accessit; Adamus enim, comes Trčka de Lippa, collegium domui adjungere jam anti„meditans, magistros alendos in aes suum receperat, „itaque praedium suum, nomine Kuchel, in districtu „čzaslaviensi situm, Societati donavit, cujus haec pos„sessionem, 12. Maji anni ejusdem adivit. (H. S.)"

Rebus ita prospere cedentibus 14ta Junii scholae apertae sunt. Adponam hic verba ipsa auctoris H. S. „Ergo bonis, qnod ajunt, avibus quarta Pentecostes „feria, Junii die 14., post promulgationem e suggesti„bus concionatoriis factam, dato signo huc convolat „juventus, et in elementariorum, grammaticae item se„cundam tertiamque classem, quam profitebatur P.

„Gedeon Judex, tributa. Vix unum mensem ludus fre-„quentabatur, cum pueri plures ducentis numeraban-„tur, qui sub autumnum ante solenne literarum justi-„tium de Humana Sapientia dramatice et adeo belle lu-„serunt *), ut cives inde commoti certatim proles suas

*) Et animi grati officio, et e rei gestae ipsius veritate obstringimur, nonnisi optima quaeque et honorificentissima de nostris in gymnasio praedecessoribus e domo olim professa existimare et commemorare. Quod ludos itaque dramaticos, in decursu hoc adhuc nonnunquam nominandos adtinet, haec per totum notanda velim: 1. Exhibebantur illi a discipulis sermone latino, igitur jam ideo magis innocui erant, et ad exercitationem quandam scholasticam pertinentes. 2. Cogitarint nostri illi praecessores non absque omni ratione, acquiri in illis aliquid dexteritatis in actione et declamatione; 3. argumenta, morum ratione habita, certe probatissima tantum eligebant; 4. Patebant tunc minus theatra publica, et occasio ea adeundi apud majores nostros perrara fuit. Quid mirum itaque, si illi scenis his scholasticis magnopere delectabantur, easque etiam ab invitis exoptarint, praesertim cum themata earum saepe ex historia sacra ducerentur, ac certe de moribus emendandis, aut saltem de adquirenda aliqua non illiberali eruditione adposite monerent. 5. Fortasse et scenae illae scholasticae ad maturandum justiorem theatrorum publicorum adparatum, ex quo nunc humanior totius saepe populi cultus non immerito aestimatur, hinc et illinc contulerint.

Utut itaque mos ille scenas agendi a gravitate disciplinae scholasticae prorsus alienus, et jure meritissimo penitus abrogatus est; nihilominus praedecessores illi nostri hac in re juste excusandi sunt, quippe qui illum nequaquam probaverint, sed abusum aliunde invectum inviti tolerabant. Quotienscunqne igitur de scenis illis scholasticis, jam pridem obolitis mentionem injecero; dicta hic a lectoribus benevolis in memoriam revocari rogo.

„scholis concrederent, ita, ut anno inde proximo, quo „ad dictam domum mense Novembri Musarum colonia „deducta est, jam prope quadringenti (370) censerentur „discipuli. Industriae incitamenta (praemia) ante no„minatus comes de Lippa utroque anno liberali adjecit manu, quamquam nullum erat gymnasium, quod id „genus illecebris ac Maecenatibus careret.“ (H. S.)

Haec itaque de primis gymnasii nostri initiis comperta habemus, unde patet, illud anno isto classibus suis nequaquam completum fuisse, adeoque nec annum saecularem inde ductum fuisse.

Locus autem primus *) gymnasii erat in ipsa domo professa, sed multo humiliori adhuc et simpliciori structura, quam quae nunc in foro microprageno visitur **); postea scholae translatae sunt in vicinas

*) Agitur quidem in pacto autographo 28 Junii illius anni de aedibus, sub trium olorum signo, quas domus professa pretio sexies mille florenorum emit, et commentum ibi subjectum habet: „Domus Dominae Jacoberianae, ubi scholae.“ Praeterea in apocha, dissolutionem pretii hujus testante, adscripta haec sunt: „Ad domum scholarum pertinet.“ Nihilominus et aedes istae totae comprehensae fuerint areâ domus ipsius professae, qualis postea exstructa fuit, et ad quam exaedificandam nonnullae adhuc aliae, ut literae annuae habent, coëmendae erant, prout topographia Schallerî testante scimus, ad substructionem collegii Clementini Pragae Veteris aedes civium vicenis amplius redimendas prius fuisse.

**) Profecto non inutile esset, si ichnographiae et delineationes locorum et aedium, structurae antiquae in urbibus et oppidis, nobis relictae fuisent, ut hac ratione velut species ipsa, aut imago quasi quaedam incrementi, aut in paucis quibusdam forsan et relapsus in colendis, et exornandis urbibus, vicis et locis universim ob oculos poni, atque quan-

aedes, ubi nunc scripta et acta, c. r. Gubernii adservanda reguntur; demum anno 1783 in domum, quam adhuc obtinent.

Anno 1629. Supra nominatus comes de Trčka et Lippa 7000 fl. ad emendam pro scholis nostris domum obtulit; discipulorum vero numerus in quatuor grammatices classibus ad 370, ut ante dictum est, excrevit. (H. S.)

Anno 1630. Dolet hic auctor H. S. de plaga, quam domus professa ac gymnasium e lapsa ducis Waldsteinii fortuna persensit, cum quinquaginta florenis, quos dux ei in singulos menses eleemosynae nomine pendebat, carendum ei esset. Jam vero ante pag. 1018 innuerat: „Ducem Waldsteinium, (an „e vero, nescire se ajens) suspicatum fuisse, P. La„mormainium, S. Theologum, non omnino immunem „a suscepto exauctorationis suae consilio fuisse; hinc

---

tum hac in re vita civilis industriâ et arte profecerit, certius judicari possit. Nemo, nisi sexagenario major sit, novit nunc, qualis, e. c. in foro microprageno, aut equino Pragae Novae et hinc et illinc, intra et extra pomoerium urbis nostrae ante quinquaginta duntaxat, ne dicam ante ducentos annos apud nos et pari modo alibi rerum facies fuerit. Cognitioni itaque historicae cultus locorum humanioris ichnographiae id genus permagnum et obtutu ipso dijudicandum adferrent subsidium. Prout nunc ars perutilis illa delineandi multis sane familiaris et obvia est, facillime exacta locorum, quorum aut ex integro, aut melius inaedificandorum spes propinqua est, ichnographia confieri posset, aut certe ab architectis exigi, ut in proponenda novi operis ichnographia simul antiquam loci ejus formam, cum vicinae regionis parte, magistratibus in usum historiae cujusdam oculis spectandae, adservandam una adponant.

„Ducem familiaritate Societatis abstinuisse, et con-
„tentum, aliquando visere et adfari, intimam consue-
„tudinem, qua prius utebatur, exclusisse." (H. S.)

Nacta est caeterum domus et gymnasium largam opem et rerum subsidia a Principe vidua Polyxena de Lobkowitz, quae magistris et sociis domus, vicenis amplius, cuncta victui et amictui necessaria liberaliter praebuit.

Praeterea gymnasium proprio sacris habendis sacello instructum, et quatuor grammaticae classibus poëtices classis addita est. (H. S.) Hac ex causa factum existimo, ut anni saeculares ab isto gymnasii nostri quodammodo completi tempore numerentur.

Anno 1631. Occupata ab exercitu saxonico hostiliter Praga, scholae periculo urgente desertae fuere. Ligna fabricae destinata et ipsa domus cum scholis direptioni militari cessissent, nisi Petrus Kunz, consul Micropragenus, haec industria sua servasset (H. S.). Eques de Kokoržowa 3600 fl. pro alendo musices in templo choro concedit.

Anno 1632. Scholae, magistris et discipulis vacuae, a ministris confessionis augustanae inhabitatae. Reddita Caesari Praga, Patres S. omnia in discessu tumultuarie abdita, quin et supellectilem librariam sat feliciter iterum inveniunt. „Non parum profuit,
„addit auctor, dictos ministros habuisse inquilinos,
„per eos enim domus nostra a Saxonum direptione
„mansit immunis." (H. S.)

Anno 1633. Domus et scholarum egestas, damno praesertim aedificiis hostili irruptione illato, florenis mille et sexcentis amplius, liberalitate amicorum collatis, tantisper levatur. (Ibid.)

Anno 1634. Aliud levamen gymnasio et domui professae obtigit, collatis bis mille florenis amplius, cujus beneficii conferendi Princeps Lobkovicia, nata Pernsteinia, ad praestanda Societati et scholis subsidia semper experrecta, primas partes cepit. Mox hostilis motus timore scholae iterum relictae. (Ibidem.)

Anno 1635. Attenuatis per motus bellicos gymnasii et domus rebus, denuo collatis amicorum liberalitate quinquies mille et octingentis florenis succurritur.

„Caeterum gymnasia, ait auctor, uti hostili „incursu aut metu dissoluta sunt nostra collegia, in „solitudinem et ipsa abierunt, nec nisi multo de„mum molimine restitui poterant." (Ibid.)

Anno 1636. P. Valentinus Coronius, primus omnium domus professae praepositus, multis cum laude functus officiis, rector tandem universitatis creatus, praematura morte obit. — In fine anni scholastici post solenne drama Balthasar comes de Marradas, militiae per Bohemiam praefectus, in gymnasio nostro discipulis bene meritis praemia largiter distribuit. (Ibid.)

Anno 1637. Mortuo Caesari Ferdinando II. justa funebria a classibus discipulorum ex universa Pragena triurbe celebrantur, quorum agmen nobiles adolescentes, in quinquaginta paria distributi, duxerunt.

„Stabant, ait auctor, lugubres, visendae molis „et artificii machinae ac cenotaphia, eruditis emble„matibus, picturis luminibusque affatim illustrata; „addiderat studiosa juventus epigraphas, elogiis in-

„texta praeconia, numquam dimittendae gratae me-
„moriae monimenta.“ (Ibid.)

Imperator Ferdinandus III. Pragae praesides trium societatis domiciliorum salutatum accedentes, clementissime accipit; tum ad collegium Clementinum descendens, ut in coenaculo collegii mensae simul adsideant,indulget. (Ibid.)

Anno 1638. Morbis acutis et pestiferis Pragae grassantibus in domo professa et gymnasio sex Socii obierunt. Aliquanto serius tamen concursus scholarium tantus erat, ut Pragae Minoris infima grammatices classis ab elementariis secerni debuerit. (Ibid.)

Anno 1639. Ob adventum suecici exercitus Pragae trepidatur; hinc in gymnasio classes grammatices solum retentae. — Larga liberalitate ante nominatae Principis Polyxenae de Lobkowitz, filii ejus Wenceslai Eusebii, supremi aulae caesareae ministri, nec non comitis Tilly et Abbatis Strahoviensis, Caspari de Questenberg, domus et scholae sublevantur. (Ibid.)

Anno 1640. Bello et peste in Bohemia omnia turbata. (Ibid.)

Anno 1642. In sacello, sacris piacularibus pro defunctis in templo domus professae adornato, Archidux Leopoldus, supremus totius exercitus caesarei praefectus, militibus ad Lipsiam caesis justa persolvi jubet.

Eodem anno Caesaris Ferdinandi III. liberalitate domui et scholis 1600 fl. et horti pars, mille et quingentis florenis comparata, obtigit. Bello licet saeviente studia literarum nihilominus, quo hostis non irrupit, diligenter colebantur, ac proinde Febronia comes Pernsteinia bene meritis nostri Gymnasii discipulis praemia munifice distribuit. (Ibid.)

Anno 1645. De hoc auctor H. S.: „gymnasium „mitioris Palladis domui professae adnexum comple„tum est hoc anno addita Rhetorica.“

Est itaque annus iste constituti justo ac pleno classium uumero gymnasii nostri primus.

Anno 1646. Vi decreti ejusdem anni domus professa a pendendo pro vino, cerevisia et carnibus vectigali eximitur.

Anno 1647. Libet rursus ad hunc annum, quo adhuc hinc et illinc arma belli tricennalis saeviebant, adferre verba ipsa auctoris H. S.: „A succiduis, sub „mortis falce arescentibus stirpibus, de quibus sat diu „hactenus, oportet ad amoene florescentes juventu„tis areolas secedere. Et vere flos ille tam uber, tam„que et numero et nobilitate copiosus fuit, ut annales „provinciae Societatis B. perlegens, obstupescerem, „potuisse in ea borealis Martis tempestate ac pruina „existere tantum, quantum ne nostris quidem tempo„ribus, quibus terras nostras pacatissimi fovebant ze„phyri, conspeximus, quem numerum pleraque faten„tur gymnasia sibi praeter spem et opinationem evenis„se. Exemplo sit unum Pragae Minoris Gymnasium, „ubi praeter 70 praecipuae nobilitatis adolescentes, „censebantur comitum Imperii filii omnino 14, prae„ter plebejorum chorum numerosum.“ — „Et habuit „hoc studium non modo laudatores plurimos, ipsos „adeo Suecos, sed etiam Maecenates, maxime dum „annus scholasticus celebriore dramate pro more clau„deretur.“ (Ibid.)

Anno 1648. Multa domus et scholarum incommoda, capta clandestino impetu sub finem belli tricennalis, duce comite de Königsmark Praga Minori;

vulnerati ex hostili exercitu milites 163 in scholas impositi, et omnia in domo, ut hosti libuerat, direpta. (Ibidem.)

Anno 1649. Ad damnum sarciendum plurima beneficia collata: ab Anna Polyxena, e comitibus de Michna, millia decem, a Ludmilla Kafka de Ržičan, Francisci comitis de Sternberg conjuge, tria millia et quingenti floreni. „His accessit, ut auctor dicit," „hortulus elegans, mille et ducentis Rhenensibus aesti-„matus, sed dimidium fere pretium venditor remisit, „Centum aureos eidem comparando Comes Conti," (de altera urbis parte defendenda optime meritus), „tribunus militaris, addiderat. Universim tantum elee-„mosynarum, ita auctor, „hoc anno in egentissimam „hanc domum congestum legitur, ut difficile adpa-„reat; narrantibus annalibus fidem, qua tamen mini-„me sublesta nituntur, habere." (H. S.)

Super haec omnia nactum est gymnasium et domus euergetas et Maecenates: Franciscum comitem Nadastium, Ferdinandum et Maximilianum Bar. de Lobkowitz, et Rudolphum, Bar. de Tiefenbach, quorum numerum liberalitate et munificentia sua auxit —

Anno 1660. Adamus Comes de Trautmannsdorf. Ibid. Grati animi causa haec etiam hic commemoranda videbantur.

Anno 1651. Lucia, e comitibus de Martinitz, Francisci Odalrici Liebsteinsky comitis de Kolowrat conjux, domui 12000 fl. legavit. „Gymnasia florent." „Pra-„gae omnia laureis plena," ait auctor ibidem, haud dubie ad collatos honores academicos respiciens.

Anno 1652. Caesare Ferdinando III. Pragam advenïente, electores imperii eodem invitati, fere omnes

venerant, quorum e numero Princeps Elector Moguntinus, Joannes Philippus e comitibus Schönborn, Trevirensis; Carolus, comes de Leyn, et Ferdinandus Hassiae, Princeps et Cardinalis, peramice et frequentius domum cum Gymnasio invisebant. „Gymnasio„rum magnum observatum est incrementum in numero „discipulorum, et flore nobilitatis, postquam nimirum „pax alma reddita Mnsis est.“ (H. S.)

Anno 1653. „Colebantur Musae post longas Mar„tis turbas multo impensius etiam a nobilium audito„rum frequentia; frequentabant certe unum Pragae „Minoris sex classium gymnasium 24 comitum, baro„numque filii, qui comice ornati, et in palatium car„dinalis advecti, solenne ei genethliacon dixerunt.“ „(H. S.)

Haec potissima ex parte e praedicta S. B. historia, quae sequuntur, e literis ante memoratis domus professae annuis excerpta sunt.

Anno 1654. Wenceslaus e comitibus de Kolowrat Liebsteinsky, angustiae aedium et templi D. Nicolai pervetusti et labascentis periculo subveniens, haereditatem suam 80000 fl. his exaedificandis offert. — Transactio cum senatu micropragensi de ampliori novi aedificii spatio decreto caesareo confirmatur. Scholae numero et nobilitate praecipua florentes literarum studio eminebant. (L. A.)

Anno 1655. Scholarum splendor et discipulorum progessus par. (L. A.) Haec, quamvis ad singulos prope annos non absimili fere tenore in Literis Annuis de scholis nostris adlata, a me tamen hinc et illinc fidei majoris causa, illas a me lustratas fuisse, adferentur.

Anno 1657. Scholis numerosa nobilitas nomen et decus addidit: ex avitis comitum Imperii familiis 19, barones 11, totidem ex ordine equestri, quibus sub finem mensis Julii accesserant quini regii, ac seni Archiducis ephebi, qui constanter, quantum per obsequia aulica licuit, in suas classes divisi, gymnasium frequentabant. Consuetae rhetorum et poëtarum in declamando exercitationes. Nobilis juventus cardinali Harrach die natali gratulatur.

Summa collatorum a. h. domui beneficiorum 900 fl. Caesar Augustus Leopoldus domum invisit, ac in ejus coenaculo patres prandio secum refici vult. (L. A.)

Anno 1658 et 1659. Elogium usitatum: „Scholae „discipulorum frequentia et nobilitate, nec non pie„tate et adsiduitate florent.“ (L. A.)

Anno 1660. Ad hunc aunum prima vice Praefectum et quatuor Professores nominatim adscriptos inveni: Praefectus P. Joannes Heintz, Professores: Guilielmus Holub, Joannes Strakela, Wenceslaus Ludwik et Martinus Tenner, qui vetustatis alicujus causa hic quoque nominati sunto. (L. A.)

Anno 1661 et 1662. Praeter Praefecti et Professorum nomina nihil ultra inveni, et haec allatam ante ob causam adhuc transscribam: Praefectus: P. Joannes Tobias Riedl; Professor Rhetoricae: P. Joannes Porubna; Professor humanitatis: P. Georgius Queseling; Prof. supremae grammaticae: P. Lucas Kholik; Professores inferiorum gramm. classium: M. M.: Andreas Litomisky, Franciscus Woračiczky et Rudolphus Stephan. (L. A.)

Anno 1663. Praepositus domus et quodammodò gymnasii, Joannes Wrbna, illustri progenie ortus.

Ceterum duntaxat nomina praefecti et professorum. (Ibid.)

Anno 1664. Domus Praepositus, idem Joannes Wrbna, veris virtutibus, et quae prima laudum est, egregia animi moderatione clarus, diem supremum obit.

Anno 1665. Morbi ob äeris inclementiam et inde funera. Haereditas Kolowratiana octoginta millium florenorum; adnitente altero comite Kolowrataeo, supremi Appellationum tribunalis Praeside, templo et domui aedificandae integra transditur. Scholae, nobili juventute refertae, vigore singulari in exercitationibus literariis eminuerunt. Drama: Daniel Innocens studia procerum et omnium excitavit. (Ibid.)

Anno 1666 et 1667 nomina dumtaxat Praefecti et Professorum recensentur; status scholarum pro more laudatur. (Ibid.)

Anno 1668. Hoc et sequentibus annis desunt jam nomina Praefecti et Professorum. Domui bibliotheca, copiosis libris instructa, a generoso D. Geckl donatur. Classis Humanitatis obitum fratrum e comitibus de Waldstein, haud dubie e gente ducis et domus fundatoris Albrechti Waldsteinii, condiscipulorum suorum, scena publica in magna illustrissimorum spectatorum corona luget. Comes de Trautmannsdorf 9000 fl. pro choro musices templi alendo donat. (Ibid.)

Anno 1669. Consuetae exercitationes scholasticae; inter dramata unum latina, alterum lingua germanica exhibitum. (Ibid.)

Anno 1671. In gymnasio ad curam domus professae spectante copiosa ex flore primae nobilitatis juventus virtuti et literis praeclaram operam navabat.

„Discipuli hoc anno dramata ingenio marteque pro-
„prio composita dederunt."

Anno 1672. Gymnasium nostrum *academicum* adpellatur, de ejusque scholis dixisse sufficiat, nihil ab iis, quoad morum et literarum studium, amplius desiderari potuisse. (Ibid.)

Anno 1673. Docuit hoc circiter anno, ut e Francisci Pelzl scriptoribus S. conjici potest, in gymnasio nostro grammaticam Henricus Wenceslaus Richter, serius et Professor poetices Pragae Novae, vir prae ceteris memoria dignus, ac ut existimare fas est, singulari humanitatis sensu praeditus et judicio pollens.

Scripsit varia argumenti talis, quod nequaquam infestum aliis animum, sed studiosum rerum naturam et mores hominum cognoscendi, aliosque ita edocendi auctorem indicat. *) Missus in Americam, inter rudes ad flumen Maranionem gentes mansuefaciendas et erudiendas annos duodecim (ab anno 1684 ad 1696) incolumis et genti illi carus transegit, quod nisi singulari humanitate et benevolentia in omnes fuisset, fieri nunquam potuerat. Occidit ille quidem ibi tandem, quin tamen ullo inconsulto animi fervore caedem suam provocasset, sed e tota fera gente unius duntaxat, quem a pueritia perbenigne educabat et erudierat, quin et in nomen suum adoptaverat, scelere

*) Scripta reliquit quina, in quibus iter suum ex Hispania in Americam, tum situm et mores diversorum Americae populorum, geometricis simul observationibus insertis, descripsit, industria sane in omne tempus utili. Vid. Francisci Pelzl Scriptores e S. Bohema.

et perfidia interemtus. (Emanuel de Boye in vita ejus Pragae edita.)

Domus duae, comitis olim Hispani Balthasaris de Marradas, ad Faunos vel Wildmanniae dictae, derelictae postea et ad jus civitatis micropragenae retractae, de quibus, quod scholis amplioribus aedificandis opportunae videbantur, emendis jam anno 1672 cum senatu micropragено actum erat, pretio 5000 fl. emtae, et ex tabulis civitatis, in favorem rei scholasticae, in tabulas regni transcriptae, quae cuncta decreto caesareo 16. Maji anni ejusdem confirmata sunt.

Praeterea autem diu jam ante de spatio domui professae et ecclesiae D. Nicolai noviter exstruendae, multo ampliore concedendo cum Senatu agitatum erat. Ichnographia (plantam vocant), novi operis moliendi bis terve exhibita, ac rursus immutata; obtendebatur enim, tanto spatio, medio in foro, occupato, plateas et vias publicas nimis coarctandas fore. Magnis igitur cum difficultatibus, ut Literae Annuae ad hunc annum aperte dicunt, Societati colluctandum erat, quas illa vix aut ne vix quidem superavisset, nisi, ut mihi certe persuasum est, favor gymnasii conservandi et ampliandi causam illius ad animos summorum et infimorum tacite saltem egisset. Itaque debetur haec ampla et insignis exaedificatio domus et templi istius, ornamentum nunc fori et urbis praecipuum, magna profecto ex parte patrocinio literarum et juventutis in his erudiendae.

Remotis ita, studio inprimis comitis Maximiliani Valentini de Martinitz, supremi Regni Praefecti, feliciter obstaculis, ab Augusto imperatore Leopoldo I., qui exercitu lustrato Egra Pragam advenerat, funda-

menta novae domus professae jacta sunt. Imperator ipse inter justa rei tam memorandae solennia, corona procerum stipatus, lapidem fundamentalem, nummo aureo magni ponderis adjecto, posuit, et trullas aliquot calcis manu augusta circumfudit, cui tum nomine Societatis et domus professae junior comes, Franciscus Zdĕnko de Kolowrat, Rhetoricae alumnus, gratias solemnes egit. (Hammerschmid in Prodromo.) — „De scholis gymnasii hujus academici“ (ita denuo vocatur) „satis erit commemorasse, viguisse, si ullo, certe hoc „anno, singulariter modestiam in templo, fervorem in „literis, laudabilem aemulationem in classibus.“ (L. A.)

Anno 1674. Sic Literae Annuae: „Palaestra scho„lastica floruit non minus nobilitate, quam scientia, „sedulo id promoventibus singulis in classibus praefec„to et professoribus.“ Drama a discipulis humaniorum studiorum exhibitum. „Nec scholis sua defuere „exercitia, quibus naviter peractis, famam malevolentium „expunxernnt, studiosos Pragenses inter triurbis tumultus „strepitusque literarum fontes obiter delibare.“ Beneficia domui largiter tributa. (Ibid.)

Anno 1677 et 1678 eadem rei scholasticae ratio. Domus novae fabrica ad tertiam contignationem provecta. (Ibid.)

Anno 1680. Thomas de Storbegg, supremi Appellationum tribunalis consiliarius, pro adjungendo domui professae seminario, aedes suas et vineam testameuto transcribit. — Domus nova inhabitari coepta, postquam ei 6ta Maji Archiepiscopus Fridericus, e comitibus de Waldstein, antea bene precatus esset. — „Post men„sas secundas scena et drama in honorem familiae „Waldsteiniae et Kolowrateae a gymnasio nostro acade-

„mico, quibus illustrissimis familiis tam multa, et tan-„ta accepta fert, exhibitum *). Multum delectavit „animos et oculos spectantium tum ingeniosa inventio, „tum agentium dexteritas et repentina, quin spectan-„tes id animadvertere possent, quintuplex proscenii „mutatio.“ (Ibid.)

Anno 1684. Scholae floruere. Dramation Rhetorum, *Hippolytus*, bis cum laude in scenam venire meruit. (Ibid.)

Anno 1686. Nova domus fabrica magnum cepit incrementum. Templum D. Wenceslai non solum ex integro exstructum, sed et tecto munitum. — Rhetores *Marco Attilio Regulo* in scenam dato, placuere. (Ibid.)

Anno 1687. Discipuli in gymnasio 332, in quorum numero Comites 18, LL. Barones 7, praeter alios equestri familia natos et nobiles. — Fabrica domus e parte occidentali a fundamentis dimidia sui parte educta, pars septemtrionalis fere jam absoluta. (Ibid.)

Anno 1688. Gymnasium hoc *academicum*, (ita Literae Annuae), inter discipulos Principem unum, 26 Comites et LL. Barones numerat. Drama celsissima et illustrissima juventus egit. (Ibid.)

Anno 1689. „Gymnasium nostrum *academicum* „in discipulorum numero duos duces, Holsatiae nem-„pe et Slesvicii, et Principem de Salm habet.“ (Ibid.)

Anno 1690. Disciplui gymnasii nostri *academici* 339, inter hos dux Holsatiae, duces Sagani duo,

*) Drama id grati animi officio et tempori omnino adcommodatum erat.

Princeps de Salm, Comites 17, LL. Barones 7, ex ordine equestri 17. (Ibid.)

Anno 1691. Domus professa florenis octogies millenis, e donatione Kolowratatea impensis, tota firmiter exstructa. — Discipuli gymnasii 368. (Ibid.)

Anno 1692. Discipuli gymnasii 350, inter quos adhuc duo duces Sagani. (Ibid.)

Anno 1693. Discipuli 354. Dramatis periocha typis mandata fuisse, hic prima vice dicitur; simul prima hic occurrit mentio sustentandi sex Professoribus Adjuncti in gymnasio. (Ibid.)

Anno 1694. Studia florent; peculium gymnasii: tricies milleni et septingenti floreni in censum elocati. — Legatum Thomae de Storbegg, instituendo Pragae Minoris seminario jam ante destinatum, ab Augusto Caesare Leopoldo I., 15. Septembris ejusdem anni confirmatum.

Anno 1695. Supremus regni Praefectus, Comes de Sternberg, discipulis bene meritis praemia munifice suppeditat. — In scena exhibenda juventus nobilis certavit, ut alter alterum sumtuosiore adparatu superaret. (Ibid.)

Anno 1696 et 1697 scholae florent. (Ibid.)

Anno 1698. Discipuli in scholis adhuc numerosiores, quam anno praecedenti. Bibliotheca domus et gymnasii aucta. (Ibid.

Anno 1699. Discipuli in gymnasio 473. Literis hujus anni adnexa est synopsis status totius provinciae S. Bohemae, in cujus scholis 9557 discipuli, atque inter hos 1302 alumni in ejusdem seminariis enumerantur.

Hactenus literae domus professae annuae, quas quidem mihi reperire contigit.

Anno 1700. Ad hunc annum forsan referendum est exemplum literarum, in c. r. Gubernii tabulario ex autographo transscriptarum sine anno, quibus decies mille floreni alendis aliquot egenis adolescentibus constituuntur.

Anno 1702 praeter ceteras expensas, Professoribus in domo professa 36 fl. pro praemiis, et 22 fl. pro dramatibus exhibendis adsignantur. — Mentio ejus, qui sex Professoribus adjunctus erat, sustentandi, iterata legitur.

Anno 1710 de domo Wildmanniana, quo scholae transferendae erant, cum tota ruinae proxima esset, vendenda, agi coeptum, quin tamen ullus rei eventus secutus sit.

Anno 1713. Dira lues Pragam adfligit, et peste 285 incolae absumti. Contagii impediendi causa sacra extra templa sub dio habita, velut in foro Pragae Minoris. Statua tum SS. Trinitati vota, et prope domum professam in foro Italico erecta. (Hammerschmid in Prodromo.)

Anno 1724. Transactione cum senatu microprageno inita, spatium duorum ferme passuum in latitudinem, septemtrionalem versus partem domus illius Wildmanniae, scholis gymnasii ampliandis pretio 150 fl. redimitur.

Anno 1725. Hoc circiter anno scholae nostrae extra domus professae pomoerium in domum illam Wildmanniam, in hunc nempe locum, ubi nunc acta c. r. Gubernii regesta adservantur, translatae fuerint.

Anno 1726. Senatus micropragenus Societati actionem intendit ob elocata in scholis loca vacua, ab externis inhabitata, causam interserens, minui ita commoda civium ex elocatione aedium privatarum. Sententia judicis lata, jus hoc elocandi Societati adseritur.

Anno 1727 et 1728. His circiter annis gymnasio nostro novi discipuli e Seminario Pragae Minoris, Vinidorum dicto, ex Lusatia plerumque oriundi, accedunt.

Fundaverunt nempe fratres germani duo, Martinus et Georgius Schimon, Lusatae, ille Canonicus Senior Budissinensis, hic sacrorum ad D. Josephi Pragae Minoris minister, ut de numero cleri magis sufficiente catholicis illarum regionum et Saxoniae incolis provideretur, stipendia pro alendis duodecim adolescentibus, qui literarum studiis operam Pragae navarent. Institutio seminarii hujus diplomate caesareo ab Imperatore Carolo VI. die Julii 6ta anni 1725 concessa et rata habita fuit. His duodecim stipendiis plura postea ibidem accesserunt.

Ab hoc tempore usque ad annum 1747 nihil, quod ad gymnasium, aut saltem ejus domum spectaret, inveniri potuit. Verum ab anno 1747 usque ad nostra tempora habentur in catalogis et libris calculorum manuscriptis nomina Praefectorum et Professorum, tum etiam discipulorum, et horum quidem, addita progressus in studiis nota, perscripta et diligenter adservata. Ab isto itaque anno nomina ipsa Professorum, qui scriptis simul editis memoriam sui reliquerunt, usque ad annum 1780, tum numerus discipulorum annis singulis hic adponuntur.

Anno 1747. Discipuli in gymnasio universim 341, inter quos comites tres, l. baro 1, nobiles 16. Prae-

terea alumni Seminarii Vinidorum, Lusatae, 5; in horum numero Wenceslaus Kobaltž, postea ad decanatum capituli Budissinensis et dignitatem episcopalem evectus.

Anno 1748. Discipuli 391, Com. 3, Nob. 21, et Lusatae nonnulli, prout etiam annis sequentibus.

Anno	1749.	Discipuli	409,	in his nobili et illustri stirpe orti . . 18
—	1750.	—	367,	. 12
—	1751.	—	396,	. . 17
—	1752.	—	348,	. . 26

Praeterea habetur ab anno eodem apocha, pretium 7921 fl. contestans, quo tholus super basilica D. Nicolai, ad gymnasium tunc quodammodo spectante, lamellis cupri contectus fuit.

Anno 1753. Inter ceteros Professor gymnasii nostri Ferdinandus Meissner, qui quaternis opusculis argumenti tum ad physices scientiam, tum ad historiam ecclesiasticam spectantis, memoriam nominis reliquit. Discipuli 384, LL. BB. duo, Nobiles 21.

Anno 1754. Discipuli 330, L. B. 1., nob. 17.

Anno 1755. Professor Poetices apud nos Franciscus Pubičžka, compluribus justis operibus ad historiam Bohemiae ac rerum Slavicarum pertinentibus, et apud exteros clarus. Discipuli 306, Comites 2, nob. 16.

Anno	1756.	Discipuli	290,	in his nobili et illustri stirpe orti . . 17
—	1757.	—	255,	. . 21
—	1758.	—	238,	. . 17
—	1759.	—	249,	. . 22
—	1760.	—	207,	. . 20

Anno 1761. Inter ceteros Professores Petrus Chladek, postea Physices Professor in universitate Pragensi, qui tribus scriptis, ad physicae cognitionem spectantibus, innotuit. Discipuli 293, nobiles 27.

Anno 1762. Discipuli 276, Princeps 1, Nob. 27.

Anno 1763. Discipuli 294, Princeps 1, nobili et illustri stirpe orti 21.

Anno 1764. Discipuli 301, Princeps 1, illustres et nobiles 20.

Anno 1765. Discipuli 315, illustres et nobiles 21.

Anno 1766. In discipulorum numero Franciscus Georgius Lock, Lusata Wittingenaviensis, subsequenti tempore Decanus capituli Budissinensis, Episcopus Antigonensis, et magno insigni ordinis meritorum regii Saxonici ornatus. Discipuli 334, nobiles 24.

Anno 1767. Discipuli 363; Nobiles 24.
— 1768. — 369; — 15.

Decreto caesareo, 19. Dec. scripto, dramata a discipulis exhibenda consilio sapientissimo ubique prohibita sunt.

Anno 1769.	Discipuli	352,	nobili et illustri stirpe orti.	. . 22
— 1770.	—	340,		. . 22
— 1771.	—	249,		. . 16
— 1772.	—	232,		. . 14

Anno 1773. Inter Professores gymnasii Franciscus Alter, compluribus operibus argumenti critici et philologici in lucem editis, et apud exteros clarus. Discipuli 230, nob. 10.—Ab eodem anno habetur typis expressa synopsis tentaminis graeci et latini, quod ex oratione Demosthenis Olynth. II[da] et Ciceronis Phi-

lipp. IV[ta] publice subierunt alumni facultatis oratoriae in academico gymnasio Pragae Minoris; item typis expressa est versio orat. Cic. Philipp. IV[tae] in germanicum a discipulo Rhetoricae ejusdem gymnasii.

Anno 1774. Societas, ut alioqui notum est, abrogata jam erat. Negari nequit, gymnasium nostrum illi permulta debere. Itaque, quae praedecessores nostri e domo professa in juventutem probis moribus et literis erudiendam contulerunt, gratissimo certe animo recolenda sunt. Nihil profecto in rebus humanis ex omni parte perfectum nec fuit, nec unquam erit. Certe autem illi omnia, quae pro temporum ratione optima censebant, naviter et e fide praestiterunt.

Extra omnem porro controversiam positum est, Societatem illam permultos doctrina et virtute praestantes viros inter suos numerasse. In ipso hoc nostro gymnasio aliquot jam nominavimus, et trium adhuc nomina ponemus. Praeterea excitavit illa certe acriora studia omnium, ac inter hos et procerum atque Principum ad curam juventutis bonis literis erudiendae suscipiendam, et multos ubique literarum studiis patronos ac Maecenates conciliavit. Id jam inde patet, quod praedia ejus in sola Bohemia, teste Francisco Pelzl in Hist. Bohemiae tom. II. pag. 935, octuagies centenis millibus florenorum amplius aestimata fuerunt; quae opes illi potissima ex parte nomine duntaxat scholarum venerant, quum ceteroquin Societas ipsa ordinibus Mendicantium accenseretur, ac collegiis, i. e. scholasticis institutis exceptis, iisdem Mendicantium teneri se legibus, ipsa in Statutis suis fateatur.

Abrogata igitur Societate erat gymnasii nostri Praefectus: P. Joannes Trutnowsky, qui inter cetera

plures conciones sacras bohemico idiomate in lucem edidit; Professores Humaniorum: P. Josephus de Hebenstreit, Franciscus Schraml; Professores Grammatices: P. Henricus Wolf, pluribus opusculis ad usum gymnasiorum et juventutis studiosae juris publici factis, nec non compendio Historiae Bohemiae egregie concinnato, laudem adeptus; M. M. Franciscus Alter, jam ante laudatus; Joannes Neubauer et Joannes Schneider, hic subsequenti tempore praeco verbi divini in aula Serenissimi tunc Electoris Saxoniae, ac dein episcopali dignitate ornatus, perutili libro precum christianarum edito optime meritus.

Omnes hi Societati antea adscripti, anno hoc jam clero ecclesiastico accensi in Libro Calculorum leguntur.

Discipuli 216, nobiles 10.

Ab anno 1775 *et* 1776 novus studiorum et fortunatissimus texitur ordo, atque emendatior et sanissima methodi et disciplinae scholasticae, ut in ceteris Austriae, ita quoque in nostro gymnasio, ratio, quemadmodum e libro nostro Ordinationum Scholasticarum patet.

Debetur hoc incredibile beneficium Augustae Imperatrici ac Reginae Mariae Theresiae, immortalis memoriae Principi. Studiorum et totius institutionis juvenilis ratione a viris solertissimis jam hinc et illinc diligenter expensa et discussa, Augusta Imperatrix prudentissimos et fidelissimos consiliorum suorum ministros, inter hos et Gerardum van Swieten delegit.

Ita vera et recta animorum juvenilium formandorum via inita, qua illi ad vitae civilis munia juste obeunda ducerentur, remotis salebris aevi prioris, ac quaestionibus abstrusioribus, quam quae ipsi aetati maturiori perviae sint, unde solum obscuritas animorum,

ac inde perturbatiores eorum motus existere solent. Nihil autem constanti affectuum moderatione optabilius, et ad veram pietatem, justitiam ac humanitatem colendam, tum ad vitae civilis tranquillitatem et pacem retinendam magis necessarium nec cogitari quidem potest. Hinc etiam norma instructionis nostrae verbis disertis providit, ne themata a discipulis elaboranda „vires ingenii et intelligentiae „juvenilis ullo modo transgrediantur.“

Discipuli anno 1775, 226, inter quos nob. 14.
— — 1776, 227, — — — 14.

Anno 1777. Augusta Imperatrix directorem Gymnasiorum per Bohemiam Carolum Henricum Seibt, e disciplina Christiani Gellerti profectum, nominavit, atque hac ratione ut ceteris, ita nostro quoque gymnasio novum et insigne beneficium praestitit. Fuit enim ille ad dirigendam studiorum rationem vere natus.

Vidi ipse, annis amplius tribus, ab ejus docentis et pronunciantis ore pendentem confertum audientium coetum, omnis prope aetatis, omnis et nobilissimi quoque ordinis, cleri, et qui militiae ordines ducebant, tanta erat argumenti, de quo disserebat, gravitas et ad omnes utilitas, tanta eloquii puritas et elegantia, tam grata denique pronuntiatio et apta ad dignitatem ipsa oris et corporis conformatio, ut neminem tanta frequentia, hoc studio et hac admiratione et hoc profectu ad egregia quaeque unquam apud nos auditum fuisse meminerim.

Ingenii et animi dotibus prae ceteris excellens, summa apud omnes valebat auctoritate, et nutu solo, si opus esset, ad recta et honesta regebat animos.

Debet illi Bohemia non sermonis tantum theodisci et styli maturiorem cultum, sed progressus quoque multo acceleratiores in sensu humanitatis et sapientiae verae excolendo, non paucos praeterea viros ad munia publica rite obeunda praeclare institutos.

His pro bene meritis collato ei augusta munificentia ordine equestri et dignitate caesarei consiliarii condecoratus est.

Ab hoc anno habetur compendiaria manu scripta gymnasii nostri Historia, et continuata ac continuanda diligenter adservatur. Discipuli in gymnasio 217, inter eos nobiles 11.

Anno 1778. Quatuor grammaticae classes, ut in ceteris, ita etiam in nostro gymnasio ad tres annos contractae. (Hist. comp. M. S.)

Novi libri, excerpta e classicis latinis continentes pro 3^{tia} et 4ta gramm. classe Vienna missi.

Julii die 6ta facultas philosophica, et omnes triurbis nostrae scholae humaniores deduxerunt funus Josephi Stepling, presbyteri ecclesiastici et humaniorum etiam quondam Directoris, viri ut ceteris virtutibus, ita et disciplinis mathematicis inclyti, comitatum etiam omnium ordinum clarissimis viris. (Ibid.)

Die 9na Augusti Episcopus Hipponensis et Suffraganeus Pragensis, Franciscus Xav. Twrdy benedixit sacello gymnasii, non modo a ruina, quam ob superstructam molem a scholis normalibus anno superiore minabatur, vindicato, sed et insuper munificentia benefactorum peculioque scholarum eleganter ornato. — Exorto ob successionem Bavaricam tumultu bellico, 10ma Augusti juventuti studiosae copia facta, se ad tutiora recipiendi. (Hist. Gym. compendiaria.) Discipuli 195, nob. 10.

Anno 1779. Liber classicus novus pro schola etiam suprema Humanitatis classis editus. (Ibid.) Discipuli 208, nob. 12.

Anno 1780. „16to Septembris gymnasium nostrum „splendore, quo fieri potuit, maximo egit annum „saecularem a prima sui institutione quinquagesimum „supra centesimum. Mane hora 9na convenit juven„tus scholastica ad gymnasium, inde supplicantium „more, ordine pulcherrimo ad aedem paroecialem „D. Nicolai processit. Ordinem praesentia sua co„honestarunt inprimis: Illustrissimus et Reverendis„simus Dominus Matthaeus Schweiberer, capituli „metropolitani Pragensis Decanus, Episcopus Antipa„trensis et Suffraganeus, tum inclyta c. r. Studio„rum commissio, viri denique auctoritate et erudi„tione conspicui, qui in hoc ipso gymnasio olim „sive cathedras obtinuere, sive etiam artes humanis„simas combibere. In ipsa aede D. Nicolai pro ro„stris stetit, praeclare de hoc gymnasio meritus, „supremae Humanitatis classis Professor Henricus „Wolf, presbyter ecclesiasticus, sermonemque lati„num ad nobilem eruditumque auditorem habuit de „gymnasiorum utilitate, magno omnium adsensu com„probatum. Missa deinde solennis ab eodem Reve„rendissimo et Illustrissimo Episcopo decantata. Ter„minata est celebritas decantato Hymno Ambrosiano."

„Die eodem hora 4ta pomeridiana, rursus in co„rona c. r. Studiorum commissionis ac hospitum no„bilissimorum solennis praemiorum distributio a Prae„fecto scholarum peracta est, sub qua elucubrationes „varii generis, a studiosa juventute elaboratae cum la„tino, tum germanico idiomate, dimensionesque geo-

„metricae in charta depictae, hospitibus exhibitae „sunt, tanquam certissima indicia praeclari facti pro„gressus. — Maxima autem virorum ordinum omnium „adsensione, incredibilique animorum voluptate ex„ceptae sunt orationes latinae breviores, sub finem re„citatae, quibus gratiae agebantur Augustissimae Im„peratrici ac Reginae nostrae Mariae Theresiae, quod „et studia ad hunc, in quo nunc conspiciuntur, splen„dorem evexit, et tam copiosa incitamenta suppedita„vit, quibus adolescentes in scholis ad eruditionem non „modo, sed ad morum quoque probitatem, hone„stumque vitae cultum instituerentur. Vota praeterea „pro incolumitate Augustissimae palam facta a studio„sis adolescentibus tanta teneritate, tanto verborum „animorumque sensu, ut concinna eloquendi agendi„que ratione omnium tum praesentium multo vicerint „exspectationem.“ Discipuli 218, nob. 7. (Ibid.)

Secuto deinde omnibus luctuosissimo Augustissimae Imperatricis ac Reginae obitu, Historia gymnasii nostri sensum lugentis et gratissimi animi sic declarat:

„Dies vicesimus nonus Novembris luctum invexit „maximum in omnes quidem provincias Austriacas; „sed praecipuo tamen moerore complevit gymnasia „mitioris literaturae ob mortem Augustissimae ac „Gloriosissimae Imperatricis, regnantis Mariae There„siae, quae hoc die evenit, maturam illam quidem „ipsius meritis et gloriae apud posteritatem omnem, „sed intempestivam adhuc votis et desiderio no„strum omnium, utpote quam diutissime sospitem „vivere optabamus. Qua felicitate ipsos quadraginta „annos gubernarit provincias sibi subjectas, qua for-

„titudine hostes imperio suo inhiantes repulerit, da-
„bunt fuse scriptores alii; qua autem cura et sollici-
„tudine studia mitiora aluerit, ac promoverit, quam-
„quam et hoc omnis praedicatura est posteritas, no-
„strarum tamen existimamus esse partium, istud dun-
„taxat unum ingrato silentio non praetereundum esse,
„quod post felicem duorum maximorum Imperatorum
„Caroli IV. et Ferdinandi II. memoriam, qui in regno
„Bohemiae scientias velut e tenebris in lucem famam-
„que provexerunt, prima e regnantibus Imperatoribus
„sit Maria Theresia, quae nostro hoc saeculo materno
„plane amore complexa humaniora studia, eademque
„ad summum apicem perduxit. Vocatis enim undique
„in consilium viris hoc in genere doctissimis, novos
„institutionum poeticarum, rhetoricarum ac grammati-
„carum libros conscribi fecit non modo, sed et prae-
„ter patriae historiae adjumenta, compendium anti-
„quitatum romanarum, historiam naturalem, ex phy-
„sica excerpta quaedam, elementa matheseos, geo-
„graphiae studium etc. in usum melioremque normam
„induxit, atque statuta haec in omnes Austriacas mis-
„sa, auctoritate sua regia munivit stabilivitque."

„Studentibus praeterea adolescentibus ut calcar ad-
„deret, favores regios pollicita, effigiem insuper suam au-
„gustissimam in numismate auro divite, principibus scho-
„lae cujuslibet palam deferri indulsit. Singulare cer-
„te incitamentum diligentiae, praesertim apud aeta-
„tem teneriorem."

„Obitum tantae Principis dolore intimo quis
„non prosequatur, quis maternam ejusdem sollici-
„tudinem, cum morte veluti praecisam, non arbi-
„tretur; nisi consimilis animi, clementiae, sapien-

„tiae filium, haeredem regnorum suorum reliquisset „Josephum II., Romanorum gloriosissimum Imperato„rem, pro cujus felici, fausto, diuturnoque imperio „gymnasia vota pia faciunt." Hactenus Hist. compend.

Ita ab anno 1630 ad 1780 primi illi a condito gymnasio nostro centum et quinquaginta anni, quorum memoriam, utpote aliquanto vetustiorem hic revocandam esse nostrum duximus, effluxere. Quae inde secuta sunt tempora, uberrimam certe et felicissimam historiae gymnasiorum materiam venturis annis praebebunt. Nam cuncta, quae immortalis nominis Imperatrix ac Regina Maria Theresia cum ad salutem totius civitatis, tum ad studiorum rationem promovendam consilio sapientissimo et sollicitudine vere materna instituerat, Augusti Caesares, ejus successores pari sapientia et paterno in subjectos sibi populos amore tuiti sunt et adauxerunt.

Emanarunt itaque postremis his quinquaginta annis ab anno 1780 ad haec usque tempora leges sapientissimae ac saluberrimae ad studiorum rationem et juventutis patriae institutionem omni modo promovendam.

Ut e plurimis aliquas tantum memorem, Augustus Caesar Josephus II. decreto 3. Februarii 1783 scripto, rationem peculiarem constituit, qua juventus in gymnasiis tum ad literarum studia, tum inprimis ad morum probitatem, pietatem in Deum et vitae honestatem duceretur. Ad excitandam industriam juvenum optimae quidem spei, sed cum egestate colluctantium, decreto 26. Aprilis 1784 sancitum est, ut e collecto a discipulis opulentioribus didactro, iis sustentandis stipendia statuerentur, unde deinceps patrimonium velut quoddam literarium pro sublevanda

patria optimae spei juventute exortum est, et ultra 450000 florenos rhenenses nunc excrevit.

Multae incidere possunt justae causae, ob quas parentes, tametsi scholas publicas vel maxime probent, et de earum summa utilitate et necessitate illis penitus persuasum sit, nihilominus pro singulari liberorum suorum indole, ut prisci quidam Romani teste Quintiliano, consultius ducunt, eos non illico frequentiae illarum committere; attamen eosdem ad munia publica quondam obeunda idoneos reddi exoptant. Firmavit itaque justissimus Princeps decreto 5. Decembris 1785 id parentibus a natura injunctum educationis munus, ut filii nempe eorum inter domesticos omnino parietes literis operam dare, postea tamen testimonii obtinendi causa publico se tentamini subjicere possint.

Singularis tam humanitatis, quam civilis sapientiae dictamine, lege 14. Decembris 1782 lata, constituit, ut Israeliticae quoque juventuti gymnasia nostra pateant, quae inde, amandato omni inhumano odio, in scholis nostris eadem humanitate ac benevolentia, qua nostra juventus, habetur. Haec Augustus ille Caesar, cujus memoria ob praeclare ad salutem hominum omnis generis ab eo instituta, apud omnem posteritatem amori et gratae admirationi erit.

Caesar Augustus Leopoldus II. decreto 8vo Februarii 1791 edito, cuncta complexus est, quae ad provehendam altius studiorum et institutionis publicae rationem a viris sapientissimis optari queant; sed mors non meritis quidem et gloriae ejus, at votis omnium praematura eripuit Imperio et regnis Principem, in quo populi clementiam Titi sibi redditam viderunt, et cujus, Magni Hetruriae Ducis adhuc, sapientiam in

legibus ferendis, prudentissimi Europae viri admirati sunt. Luctui, qui ex tam gravi jactura incessit Austriam et Imperium, solamen adtulit succedens in regnis Franciscus, Imperator noster Augustus, quem populi orbi Patrem acceperunt. Difficillimorum temporum, quae certe nulla antea aetas viderat, periculis, pro tuenda salute publica obsistens, e regali praerogativa gravissimas solum paterni in populos suos amoris curas sibi reliquit, ut securitatem iis praestaret, et intactam servaret. Hac regia via pro incolumitate omnium cuncta sua ultro impendentem, ipsum magnum pacis publicae Instauratorem Europa tota veneratur.

Quum vel maxime bella urgerent, et delectus necessario habendi essent, paterna Caesaris benevolentia, florem patriae juventutis, spem parentum, pubem literariam ab omni stipendio militari immunem fovebat; quin et inter arma ipsa et motus bellicos non tantum tranquillitas imperturbata studiis nostris mansit, sed et sapientissimae ad ea excolenda leges perlatae sunt.

Decreto caesareo, 6to Octobris 1796 edito, studii domestici ratio denuo firmata, ac dein ita definita fuit, ut parentes liberos suos privatis quidem, sed publico testimonio et a morum integritate et doctrinae genere probatis magistris, instituendos tuti ac securi credere possent.

Cum prima et praecipua sit ratio habenda, ut animus juvenilis vero pietatis in Deum sensu penitus imbuatur, in eoque firmetur, paterna Caesaris providentia in gymnasiis religionis docendae professores, stipendio largo eis collato, decreto 3. Februarii 1804 constituit. Mox deinde libri, quantum fieri poterat, accommodatissimi pro toto gym-

nasticae doctrinae cyclo comparati, et methodus iis utendi magistris cum singulis, tum quoque humaniores literas docentibus praescripta, hisque interpretes judicii solertissimi et politissimi, Heynius et Vossius in Virgilium, Mitscherlich in Lyrica Horatii etc. commonstrati sunt; praeterea prosae scriptoribus e poetis graecis chrestomathia lectissima addita, ut ita sensus omnis humanioris literaturae in adolescentium animis recta ratione alatur.

Fuit enim et erit semper poeseos in signis vis in animos hominum, et ad studium humanitatis plurimum illa conferet. Quod itaque Poeta de priscis temporibus dicit: „Cura ducum fuerant olim „regumque poetae", hoc certe de tota nostra aetate recentiore verum est. Caesarum enim et Regum decretis principes poetarum institutioni literariae demandantur, et profecto nunquam Augustus Romae plus ornamenti in Maronem suum et Flaccum contulit, quam nostri Caesares et Reges in eosdem et reliquos poetarum proceres, dum eorum opera perpetuae utilitati et immortalitati transdunt.

Ne unquam muneri scholasticos obeundo idonei deessent candidati, decreto 27. Septembris 1811 provisum est, ut in gymnasiis primariis professorum numero alii egregiae spei adjungerentur, qui, in stipendium annuum trecentorum florenorum recepti, per biennii aut quadriennii spatium, juventuti cum fructu erudiendae, apti redderentur.

Haec paucissima e plurimis, a Caesare Augusto publice institutis. Quae vero ad singulas duntaxat res in studiorum oeconomia interiori paterne providit, innumera prope sunt, in quibus singulorum saepe disci-

pulorum ea cura jussu caesareo geritur, quam ne timi quidem parentes de liberis suis gerere pos

Quo vero leges hae, de juventute patria ins enda perlatae, certiores et uberiores fructus fer decreto, 20. Septembris 1819 perscripto, conce est, ut professoribus gymnasiorum, decennio qu bet muneris scholastici e fide transacto, pars salarii superadderetur, et simili ratione ad te usque decennium. Gaudent jam hac Caesaris m licentia professores in gymnasiis regiae dotis qui decennium muneris rite exegerunt; in nostro tem gymnasio singulis et omnibus id beneficium censum fuit, pro quo immortales gratias pa ejus benignitati debemus.

Si porro quis tricennali muneris sui labore rite functus, viribus ultra non suffecerit, remissa quarta poris ceteris muneribus praefiniti parte, emerito dio ex anno annue donatum, honesto otio reddi lex jubet. Singularis sane munificentia, quam nobis nisi nefas esset, tacentibus, fasti literarii laeti serae posteritati perferent. Intelligunt enim omnes, sarem, qui bene merentes beneficiis suis cumul simos esse vult, hac ipsa ratione literarum simu cremento et saluti publicae paterne prospexisse. sunt studia haec nostra et ob flexum juvenilis tis, quae illis imbuitur, et ob sexenne eorum c nuum tempus, et e statione sua, quum intern sint inter trivialem institutionem et severiores d plinas, tum ob laborem docentium eos, qui in clivi sunt, et e ruditate ducendi et expoliendi p permagni rei ipsius naturâ momenti. Inde etiam creto 7. Septembris 1829 Caesaris beneficentia me

‚s bene hujus gymnasii professorem Nicolaum Plahl, gie sua, in nummo aureo signata, publice insigniri sit.

Grates itaque perennes, prosperitas et felicitas esari nostro, Augustissimo Patriae Patri, ut numi- sospitante sit longaevus, incolumis et felix tota m Augusta Domo sua, utque Eo, securitatem et utem publicam sapientissime tuente, diutissime laemur, quod omnes cum semper, tum festo hoc bi- zulari a largitore bonorum omnium, Deo Optimo aximo, votis ardentissimis exoptant et precantur.

Directores, qui caesareo decreto gymnasiis Bo- miae, adeoque et nostro his posterioribus annis prae- ant, viri et dignitate et omni praeclare meritorum mere conspicui, erant:

Ab anno 1801. Faustinus Prochaska, vir a cul- ssima styli latinitate, historiae patriae cognitione ab omni humaniore doctrina ac virtute, scriptis iam operibus, clarus.

Ab anno 1810. Franciscus Wilhelm, ordinis elitensium equestris Prior, vera clementiae laude gnissimus, justi tenax et in munere Directoris e le praestando indefessus.

Ab anno 1816. Josephus Köhler, ordinis ru- :ae stellae equestris Magnus Magister, ut summa onorum dignitate, ita et humanitate, sapientia in bus agendis, justitia et constantia praestans.

Ab anno 1823. Franciscus de Paula Pöllner, raelatus Scholasticus ad Metropolim D. Viti, dignis- mus praedecessorum suorum successor, quo litera-

rum humaniorum studia per Bohemiam humanissime et sapientissime procurante, gymnasia nostra nunc gaudent, et longaevam prosperitatem et incolumitatem ei vovent et exoptant.

Hoc gymnasii nostri quondam alumno laudatissimo, nunc moderatore supremo, et

Ab anno 1827 Francisco Xav. Stockloew, ordinis Militensium equestris Priore Infulato, decreto caesareo Gymnasiorum Pragae Vice-Directore dignissimo, singulari animos devinciendi dote, et pari justi rectique studio praestante,

Status Gymnasii
anno hoc biseculari:

Praefectus: Carolus Kauba.

Professor doctrinae Religionis: P. Matthias Ehrlich, e Canon. regul. in Monte Sien, A. A. L. L. et Philosophiae Doctor.

Prof. supremae Humanitatis classis: Joannes Zimmermann.

Prof. primae Humanitatis classis: Wenceslaus Swoboda.

Prof. quartae Grammaticae classis: Josephus Eichler.

Prof. tertiae Grammaticae classis: Carolus Skaliczky, M. Dr.

Prof. secundae Grammaticae classis: Aloysius Müller.

Prof. primae Grammaticae classis: Nicolaus Plahl (num. h. aur. med. ins.)

E subjecta inferius synopsi patet, numerum discipulorum Gymnasii, singulos per annos, ab 1781 bene magnum fuisse, qui absolutis tandem altioribus etiam studiis, togae et sagi, ac cleri muniis naviter obeundis ecclesiae, patriae adeoque summis Imperantibus fidem debitam integerrime exhibuerunt, docendo, consulendo, opem medicam adferendo, aut sacra administrantes et demandata sibi gravissima negotia publica exequentes. Erant inter eos permulti nobilissima prosapia orti, vel privatim vel publice literis initiati, quorum claris nominibus Gymnasium jure gloriari potest. Omnium alumnorum quondam suorum memoriam gratissimam, hac festa praesertim die recolit; nominatim autem percensere nec omnes potest, nec aliquos; non omnes, quod immensi prope esset conaminis, non aliquos, ne in praetermissos iniquius videatur. Cunctos itaque illos et universos una simul sua humanissima recordatione et congratulatione hic conplectitur.

Discipuli,

qui anno hoc saeculari altero 1830 in Gymnasio nostro operam publice dederunt.

In II. Humanitatis Classe.

Bernt Joannes.
Binder Carolus.
Blažina Joseph.
Blumrich Wenc.
Chodaunsky Petrus.
Daubek Joannes.
Delattre Carolus.
Domenegon Franc.
Doerfl Georgius.
Eppinger Henric.
Fischer Eduard.
Frenzl Felix.
Gerbing Caesar.
Glaser Carolus.
Gnann Carolus.
Gnann Wenc.
Gras Marcus, Isr.
Eques de Grünhof.
Hanl Carolus.
Honczik Joannes.
Jeiteles Ignat. Israëlita.
Jelinek Ferd.
Jennel Carolus.
Karásek Joannes.
Keil Michael.
Kirchner d. Neukirchen Guil
Klazák Josephus.
Knöchel Carolus.
Koderle Carol.
Konopa Joannes.
Kottáska Frid.
Kratochwjl Joseph.
Krokow Anton.
Krüsner Adolph.
Lahoda Wenc.
Lang Anton.
Langer Anton.
Lorenz Franc.
Marauschek Ferdin.
Marterer Franc.
Mastik Herrmann.
Matěgka Carolus.
Morawetz Franc.
Nettwal Hugo.
Nischtěra Franciscus.
Poche Ignat.
Poche Vincentius.
Podubecký Anton.
Popelka Joseph.
Porsch Ignat.

Persch Joseph.
Preissler Ignatius.
Riegel Aloys.
Sandner Franc.
Sauda Joannes.
Schilhawý Math.
Schimunek Joseph.
Schreyer Georg.
Schück Ignatius Israël.
Sika Joannes.
Sikora Josephus.
Snjžek Joannes.
Sperlich Adolph.
Trombars Ludovic.
Tuma Joseph.
Utschik Franc.
Waltinger Raymund.
Wender Joannes.
Werner Franc.
Wlasak Anton.
Wowský Joannes.
Würfel Franc.

In I. Humanitatis Classe.

Ambros Augustin.
Apt Anton.
Becke Franciscus.
Blum Ludovicus.
Bonak Wenceslaus.
Bořický Joannes.
Bradka Joannes.
Brehm Gustav.
Budil Joseph.
Burschik Joannes.
Dittrich Carolus.
Dittrich Joannes.
Dolegšj Josephus.
Domanja Henric.
Duchek Joseph.
Fiala Joseph.
Friedrich Franc.
Gežek Franc.
Glanz Samuel.
Gruner Gustav.
Gürtler Wenceslaus.
Haan Ignatius.
Hillinger Franc.
Hirschmann Guilielm.
Horn Uffo.
Hubert Josephus.
Jelinek Frederic.
Jirusch Joseph.
Kheck Franciscus.
Klan Josephus.
Kletetschka Josephus.
Kolenatý Eduard.
Kratochwil Matth.
Kurzweil Rudolph.
Kutzer Eduard.
Lamb Rudolph.
Lemsperger Joseph.
Liška Josephus.
Mark Franc.
Mikolaschek Franc.
Miller Josephus.
Müller Anton.
Nowák Carol.
Ortmann Fredericus.
Pantzer Felix.
Pettersch Joannes.

Prasky Ignatius.
Ritter Gustavus.
Rosenbaum Adalbertus.
Rösler Anton.
Rubritius Matthias.
Schirmer Emmanuel.
Schirmer Franc.
Schmiedl Franc.
Schubert Albert.
Schubert Wenc.
Schulz Joseph.
Seidel Caspar.
Setikowský Wenc.
Seydler Ignat.
Silberstein L. B. de Adolph.
Skalitzký Joan.
Spale Franc.
Spiegel Joseph.
Srb Anton.
Stanzel Carolus.
Studnička Joan.
Swoboda Rudolph.
Trčka Joann.
Unterweger Vincent.
Wagner Anton.
Weitenweber Anton.
Wildt Eduard.
Wildt Ignat.
Wlček Wenceslaus.
Žagic Bernardus.
Zelénka Joann.

In IV. Grammaticae Classe.

Altrichter Joann.
Berger Eduard.
Bistřicky Anton.
Fques de Boehm Carol.
Boehmel Carol.
Czarda Joann.
Damaschka Vincentius.
Danzer Franc.
Daucha Joseph.
Dittrich Wenc.
Ehrlich Joann.
Fischer Carol.
Forst Vincent.
Frenzl Joann.
Glasser Ludov.
Goltž Joann.
Graf Josephus.
Haas Adolph.
Habenicht Joann.
Haessler Joann.
Hoffmann Joann.
Horčička Georg.
Janetschek Emanuél.
Jellinek Aloys.
Jitschinsky Joann.
Junge Anton.
Kettner Carol.
Kettner Joann.
Knobloch Carol.
Koderle Joann.
Kretschmer Petr.
Kretschy Ferdin.
Kubik Jacob.
Eques de Kundratitz Carol.
Lackinger Joann.
Langer Anton.
Lanie Franc.
Limbek Hugo.

er Rudolphus.
Joannes.
Joseph.
Anton.
Joseph.
Emanuel.
Joseph.
n Joann.
eques de Petschensdorf.
oann.
ler Ludov.
Ernest.
Carol.
Aemilian.
Joann.
Emman.
Joseph.
mman.

Spirek Franc.
Stiepanek Eduard.
Stöckner Franc.
Straka Franc.
Strigl Adolph.
Stumpf Aloys.
Swoboda Joann.
Swoboda Jul.
Taufmann Anton.
Tobias Joannes.
Turkowitz Andr.
Wambera Victorin.
Weber Philipp.
Wehle Joseph.
Weiretter Eduard.
Wisshaupt Anton.
Wřešťal Joseph.

In III. Grammaticae Classe.

Raymund.
oann.
Anton.
tter Joseph.
eider Joann.
ller Ignat.
n Joann.
hek Ferd.
rd.
k Petr.
Josephus.
Joann.
Maurit.
ger Ludov.
gnat.
spar.
arol.
on.

Grim Herrmann.
Günther Eduard.
Hackenberger Carol.
Hagek Joseph.
Hofmann Carol.
Hoffmann Franc.
Horaczek Wencesl.
Kafka Matthias.
Karl Sebast.
de Kham Hugo.
Klaus Franc.
Klinger Joann.
Klominek Joseph.
Kodauer Joseph.
Kowaržowitz Franc.
Kridl Anton.
Lauwer Guilielm.
Lukasch Joannes.

Eques de Leinner Henric.
Liebl Cajetan.
Metzler de Andelberg Joann.
Müldner Frideric.
Müller Aloys.
Muhr Joann.
Nadherny Joannes.
Nadherny Ludovicus.
Nowotny Wenc.
Ott Henric.
Pananer Anton.
Pelikan Hilar.
Peschl Joann.
Rath Anton.
Richter Ludov.
Rosmarin Gust.
Schedelbauer Frid.
Schukal Joann.
Schwarzbach Wenc.
Seelig Franc.
Sorgenfrey Andr.
Stanzl Ernest.
Strnischtie Herrmann.
Sturmann Joann.
Suchan Matthias.
Thömmers Joann.
Thürmann Ferdin.
Tichy Joseph.
Töpfer David, Isr.
Wankel Guilielm.
Weber Guilielm.
Weitenweber Eduard.
Weitenweber Rud.
Wenzowsky Joseph.
Werner Theod.
Wewerka Aemil.
Wirker de Wackerfeld Gedeñ
Wischin Rudolph.
Wocžadlo Joannes.
Wondraczek Franc.
Zalužan Adalb.
Zenker Augustin.
Zdansky Joann.

In II. Grammaticae Classe.

Baumeister Anton.
Benesch Joannes.
Besser Michael.
Böhmel Christoph.
Brausek Joannes.
Burda Joseph.
Chmelik Carolus.
Cžižek Anton.
Cžižek Anton.
Demuth Bernard.
Drescher Joann.
Fiala Michael.
Fiekeles Isac. Israël.
Folkmann Joseph.
Galpl Guilielmus.
Gläser Eduard.
Gläser Franc.
Goppold Carol.
Goppold Maurit.
Graf Carolus.
Grimmer Eq. d. Adelsbach A
Grimmer Eq. d. Adelsbach k
Grund Joann.
Gschirhakl Ant.

Joseph.	Opolczky Joann.
Anton.	Patek Anton.
Rudolph.	Peschke Aloys.
r Frideric.	Pfeiling Gottlieb.
e Carol.	Pokorny Bernard.
tz Wenc.	Prochaska Dominic.
Joseph.	Rinckenbach Joseph.
Adolph.	Rudolph Andreas.
loseph.	Sacher Carolus.
Emman.	Schantz Joann.
Theod.	Scheibert Franc.
ka Matthias.	Schiffner Franc.
Albrecht.	Schmieger Matthias.
s Jac.	Schöller Joann.
Eq. de Liliencau Ant.	Siebert Ignat.
ky Emman.	Staffen Joann.
ky Franc.	Steiden Henric.
Wenceslaus.	Stiller Ignat.
erling Frideric.	Sykora Joann.
s Aloys.	Ullrich Joann.
s Joann.	Unger Joseph.
tschek Anton.	Walenz Gustav.
vy Rudolph.	Walter Carolus.
Wenceal.	Wedeles Henric. Israël.
s Franc.	Zwěrzina de Ruhwald Franc.

In I. Grammaticae Classe.

Theodor.	Frass Franc.
ka Wenc.	Franz Joseph.
Joseph.	Franz Vincent.
ek Wenc.	Gmach Ferdinand.
h Josephus.	Göhl Joseph.
Wenc.	Gröger Gustav.
enbach Leopoldus.	Grünwald Ignat.
er Wilh.	Günther Ludov.
g Franc.	Haaber Joseph.

Haimbucher Joann.
Halla Franc.
Haussmann Aloys.
Hawranek Carolus.
Hillinger Leopold.
Hlawa Franc.
Jarosch Joseph.
Jeschke Franc.
Joch Wilh.
Junge Carol.
Kainz Wilhelm.
Killmann Carol.
Kinzel Franc.
Kohaut Joann.
Konopa Joseph.
Kress Joann.
Khun Augustus.
Kupr Anton.
Lanie Joseph.
Löffler Joseph.
Mader Franc.
Malintzky Anton.
Maschin Joann.
Mauermann Franc.
Nekola Theodor.
Neugebauer Maurit.
Peschka Carol.
Popper Simon. Isr.
Prinz Frider.
Prochaska Joseph.
Purmann Joann.
Riegl Anton.
Rosenkranz Eduard.
Rothbauer Georg.
Řežatsch Carol.
Schak Joseph.
Schmid Petrus.
Schmidt Carol.
Seidl Eduard.
Seidl Julius.
Smolarž Gregor.
Stadelbauer Franc.
Stein Joseph. Israël.
Weber Ferdinand.
Wehli Anton. Israël.
Weitenweber Ferd.
Wenschuch Adolph.
Wotzl Hugo.
Wrba Franc.
Zigmund Wenc.

Numerus

...cipulorum, qui ab anno 1781 usque ad annum scholasticum ...30 in caes. reg. Gymnasio Microprageno publice aut etiam, privatim literis operam navarunt.

	Universim	In horum numero fuere:		
		Comites	L. Barones	Nobiles
Anno 1781	203	—	—	10
— 1782	241	—	—	15
— 1783	216	—	2	10
— 1784	200	1	3	12
— 1785	133	—	—	11
— 1786	134	—	—	12
— 1787	128	—	—	17
— 1788	157	2	—	21
— 1789	198	4	2	20
— 1790	224	5	2	19
— 1791	248	5	4	18
— 1792	260	4	3	29
— 1793	245	4	2	22
— 1794	250	1	1	23
— 1795	257	1	—	28
— 1796	257	—	1	29
— 1797	267	—	3	20
— 1798	290	—	10	29
— 1799	285	4	8	22
— 1800	277	5	4	20
— 1801	281	7	4	16
— 1802	291	10	4	16
— 1803	299	5	3	19
— 1804	288	8	2	24
— 1805	277	5	2	20
Latus	6006	80	60	482

	Universim	In horum numero fuere:			
		Principes	Comites	L. Barones	Nobiles
Translatus	6006	—	80	60	482
Anno 1806	268	1	6	2	21
— 1807	296	1	7	6	19
— 1808	339	3	5	10	16
— 1809	364	3	3	8	14
— 1810	328	4	2	8	12
— 1811	308	2	3	8	20
— 1812	289	2	4	5	17
— 1813	340	2	6	7	18
— 1814	339	—	6	7	15
— 1815	352	—	8	3	12
— 1816	418	1	18	7	11
— 1817	471	—	16	12	13
— 1818	540	—	13	11	18
— 1819	558	—	12	9	17
— 1820	571	1	11	9	14
— 1821	639	—	8	13	18
— 1822	670	—	6	14	18
— 1823	668	1	7	15	21
— 1824	702	1	5	7	22
— 1825	726	1	5	5	26
— 1826	701	1	10	5	21
— 1827	665	2	6	5	20
— 1828	460	2	6	5	18
— 1829	435	1	5	3	23
— 1830	478	3	4	4	18
Summa	17841	32	252	248	924

Carmen Saeculare
in caes. reg. Gymnasio Pragae Minoris.
Anno MDCCCXXX.

Labitur tempus, ruit hora praeceps,
En dies cedunt, fugat annus annum
Incito passû, rapido feruntur
Saecula cursû.

Dumque labuntur, rapiunt feroces
Viribus gentes, violenter urbes,
Inclutasque arces populantur; alta
Pulvere miscent.

Quidquid humanae posuere dextrae,
Quidquid in serum fore sospes aevum
Vana majorum sibi spes spopondit,
Sustulit aetas;

Sustulit, vix ut monumenta avitae
Gloriae restent. Memori nepotum
Quae ferant aevo documenta, priscae
Rudera laudis

Nulla, nulla — eheu — superant, revulsa, et
Mersa saeclorum rapido fluento, ut
Fama nec restet; periere prorsus
Gurgite vasto.

Heu nihil perstat, nihil est in omni
Orbe terrarum, nihil est perenne;
Ni Pater summus, nisi qui vel uno
Sidera nutû

Dirigit, fulmenque agitat coruscum,
Territat rauco tonitrû scelestos,
Fata disponit, numero carentes
Temperat orbes.

Si quid ingenti manet e ruinâ,
Si quid emergit, violens anheli
Saeculi quod non valuit rapaxque
Mergere torrens:

Rite mirantur populi, caduca
Quaelibet circum soliti videre,
Idque habet sanctum merito, fovetque
Serior aetas.

Bina, jam bina — en — abiere saecla;
Dum pii patres tenerae juventae
Hancce Musarum posuere magnâ
Mente palaestram.

Efferus quamvis laceraret artûs
Patriae Mavors, licet arva late
Sanguinem longos biberent per annos,
Hostica quamvis

Flamma florentes popularet urbes;
Inter armorum strepitûs minaces
Artium solers generosa movit
Pectora cura.

Quotque sacrorum vigiles ministri,
Quotque, qui febres abigunt edaces,
Quotque, si vecors inopem lubido
Pressit avara,

Legibus docti premere impotentes
Spiritûs, gnari dare jura presso,
Hincce quot tandem, rogo, prodiere
Lumina gentis?

Ergo — quam binûm fera saeculorum
Ira ne sternat, prohibes, — palaestram,
Summe coelorum Domine, et futuris
Protege saeclis!

Da, polo manes videant beati,
Quae piâ quondam posuere curâ,
Ut juvent seram sobolem nepotis
Munera patrum.

Tu pium Regem soliis avitis,
Patriae Patrem, Pater o tuetor!
Da novos illum titulos honorum
Addere priscis!

Inclytis stirpem patribus profectam,
Plurimo serva merito docoram;
Indies crescat, vigeatque pulcro
Palmite sospes.

Daque laetari solidâ fidelis
Principes justos populi salute,
Nec cruentati religare frontem
Laude triumphi.

Tu procul clemens patriis ab arvis
Hostium turmas, fremitûs tubarum,
Et minas saevi remove Gradivi, et
Horrida bella.

Alma pax altam patriae quietem
Prosperet, largas cumuletque messes,
Proferat vites, rutilumque ab imis
Montibus aurum.

Alma pax artes foveat decoras,
Mitius lauri pretio superbo,
Sanctiusque una decus ut Bohemus
Jungat olivae.

Hic Fides et Fas, et avita virtus,
Artium concors studium bonarum
Floreant, semper generosiorque
Ferveat ardor.

Impigros hic da facili juventâ
Usque laetari et docili magistros,
Atque foecundum melioris aevi
Spargere semen;

Semen in largas segetes subire;
Da Pater, tanti pretium laboris
Optumum, partas studio paterno
Cernere messes.

Qui bibunt castae hic latices Camoenae,
Hicque qui mentes adhibent tenellas
Incluti bello Latii, et disertae
Hellados arti, —

Quae feros nunquam sinit esse mores,
Asperos flectens animos, feroces
Impetûs fraenans, placideque dura
Pectora mulcens, —

Artibus puros animos refecti
Optumis, tandem graviora tentent,
Patriae vires validas voventes.
Tu, Pater illos

Esse da sanctae fidei tenaces,
Da tuae legis maneant sequaces,
Esse da Regi patrio fideles
Usque ministros.

Dulce solamen vigeant parentûm,
Laus propinquorum, columen suorum,
Instar et laudum, patriaeque quondam
Gloria terrae!

Wenceslawus Aloysius Swoboda,
caes. reg. Humanitatis Professor.

Corrigenda.

Pag.	12	linea	15	loco	narrat	lege	narrat,
—	14	—	8	—	logicam	—	logicam,
—	15	—	25	—	ne quidem peregrinus	—	ne peregrinus qui
—	17	—	24	—	scholiain	—	scholis in
—	20	—	10	—	expectat	—	exspectat
—	23	—	18	—	jacet. ei	—	jacet, ei,
—	23	—	23	—	nec ego	—	nec ego,
—	33	—	2	—	velle	—	velle,
—	33	—	7	—	exaedificata	—	exaedificatam
—	34	—	3	—	numere	—	munere
—	34	—	7	—	quam	—	quam
—	36	—	30	—	fuisent	—	fuissent
—	41	—	2	—	adnexum	—	adnexum,
—	41	—	5	—	uumero	—	numero
—	43	—	8	—	Mnsis	—	Musis
—	44	—	16	—	aunum	—	annum
—	45	—	5	—	äeris	—	aëris
—	45	—	29	—	gymnasio	—	gymnasio,
—	45	—	30	—	spectante	—	spectante,
—	46	—	14	—	auimum	—	animum
—	46	—	20	—	humauitate	—	humanitate
—	61	—	17	—	compendium	—	compendiam
—	65	—	10	—	in signis	—	insignis
—	65	—	20	—	perpetnae	—	perpetuae
—	65	—	22	—	scholasticos	—	scholastico.

DATE DUE			